tum agendi, sciens non esse causam? num. 60.
Quando confirmat, non datur repetitio, secus quando non confirmat, satisfit tunc momentanea solutione, n. 61.
Improbantur contrarium dicentes, n. 62.
Quando confirmat, nequit obtineri relaxatio juramenti, secus quando non confirmat, n. 63.
Refertur quidam sentientes contrarium, & dicentes non esse justam relaxationis causam non confirmari eo juramento contractum, n. 64.
Explicatur sententia Auctoris circa hoc, n. 65.
Quando confirmat, datur actio in foro externo, secus quando non confirmat, n. 66.
An sit differentia circa transitum obligationis ad hæredes? Remissivè, n. 67.

58 QUæstio ultima. Quos peculiares effectus inducat confirmatio contractus facta juramento, qui non competunt juramento habenti obligandi vim? Sex effectus solent assignari. Primus est. Quando juramentum obligat, non tamen confirmat contractum, dimittitur contractus in sua natura; quare si erat invalidus, adhuc manet invalidus. Quod juramentum tunc temporis nullum contractui robur addat, sed solam obligationem in ordine ad Deum inducat. Cum autem contractus sit erga hominem, manet immutatus in sua pristina natura; utpote qui nullum jus homini ex jutamento tribuit. At quando confirmat, oritur duplex obligatio, altera erga Deum, & altera erga nominem. Ut diximus *c.* 9. *nu.* 8. & ideò manet contractus firmus, & irrevocabilis, quamvis priùs esset revocabilis, & irritus. Ut probavi in *hoc eodem c. num.* 11. & 12. Atque hanc differentiam traduxt *Jason authentic. Sacramenta puberum, n.* 38. *C. si adversùs vendit. Antonius Gomez tomo* 2. *variarum c.* 14. *n.* 21. *Suarez tom.* 2. *de religione, tract. de juram. l.* 2. *c.* 25. *n.* 2.

59 Secundus effectus est. Quando non confirmat sed tantùm obligat, potest relaxato juramento veniri contra contractum. Quòd non obstet contractus, utpote qui nullus, aut revocabilis erat: nec etiàm juramentum, utpote, quod relaxatione extinctum erat. Secùs autem, quando confirmat, quamvis enim aliquando ratione læsionis allegatæ concèdatur relaxatio ad effectum agendi; at ea relaxatio non operatur, ut possit contravenire contractui, sed tantùm, ut liceat absque proprio contendere in judicio ad illius rescissionem ratione læsionis illius. Quia cum ex juramento habuerit firmitatem; nec integra illius relaxatio concessa sit, sed ad solum peculiarem agendi effectum, obstabunt volenti contravenire, juramentum nondum quo ad contravenienti potestatem relaxatum, & firmitas contractus ex eo consurgens. Atque ita docent *Abbas c.* 1. *num.* 12. *de jurejur. Angelus consilio* 160. *domina Catharina, num.* 3. *Partius §. Extraneis, num.* 12. *instituta de hæredum qualit. & differentia, Cov. de pactis* 2. *p.* 1. *num.* 7. *Gregorius Lopez l.* 6. *verbo Debe, tit.* 19. *par.* 6. *Antonius Gomez* alios referens *tomo* 2. *variarum c.* 14. *numer.* 21. *Antonius Gabriel in suis communibus opinionibus, libro* 2. *tit. de minoribus, conclusione* 5. *numero* 3. *ampliatione* 1. *Gutierez authent. Sacramenta puberum, numer.* 20. & 21. *C. si adversùs vendit. Seraphinus de privilegiis juramenti, privilegio* 61. *num.* 3. *Surdus consil.* 194. *numero* 24. *volum.* 2. *Peregrinus consilio* 77. *num.* 4. *volum.* 1. *Vincentius Mancinus tractatu de juramento, part.* 6. *quæst.* 1. *numero* 1. & 2. *Molina tomo* 1. *de justitia, disputatione* 150. *columna penultima, versic. Illud etiam, Suarez eodem cap.* 25. *numero* 3. & 4. *Rebellus de justitia part.* 2. *lib.* 1. *quæst.* 9. *numero* 11. *Azor. tomo* 1. *institutionum moralium, libro* 11. *cap.* 7. *quæst.* 5. *in initio*. Et quamvis *Abbas cap. Cum contingat, numero* 9. *in fine, de jurejurand. & ibi Alexander de Nevo in fine, Florus c.* 1. *num.* 26. *in fine, eodem tit. Riminaldus junior consil.* 5. *num.* 148. *libro* 1. dicant relaxato eo juramento manere irritum contractum, ac proinde licet statim contravenire; sunt tamen sanè intelligendi, ut loquantur casu, quo est concessa legitimè plena juramenti relaxatio ab ipsa contractus obligatione. Et ita eos explicant *Covarr. eo numero* 7. *Gutierez eo numero* 22. *Mancinus eo numero* 2. Atque benè addit *Covarr. eo numero* 7. ex ipso procedendi modo, eò quòd summariè actum sit de ipsa absolutione præstanda, deducendum esse ad solum agendi effectum eam fuisse concessam. De hac autem relaxatione ad effectum agendi, & qualiter sit concedenda, dicemus *capitulo* 21.

60 Ex quo deducirur, si relaxationem impetrans ad effectum agendi, norit eum, cui juratum est, possidere justè, absolutionem esse nullam, utpote quæ falsæ allegatæ causæ innititur, & ideò jurantem fovere injustam causam, ac proinde peccare contra juramentum, & contra justitiam, & teneri expensas litis, & damna inde subsecuta restituere adversario. Quod benè docet *Molina numero præcedenti* relatus.

61 Tertius effectus est. Quando juramentum non confirmat contractum, sed tantùm obligat, impletur momentanea solutione, & statim potest jurans repetere rem solutam. Quia cum statim, ac solutio facta est, sit juramentum vinculo juramenti solutus, remanet illa res apud alium sine causa; cum ratione solius juramenti implendi sit debita. Secùs autem, quando confirmat contractum. Quia cum tunc contractus sit omnino firmus, non satisfit momentanea solutione, nec datur rei solutæ repetitio. Quod clarè indicant textus eam confirmationem inducentes, dum decernunt eos contractus esse omnino, & inviolabiliter observandos. Ut *numero* 5. ponderavi. Atque ita tradunt *Bart. l. Si quis pro eo, in principio, numero decimo ff. de fidejuss. Jason authent. Sacramenta puberum, numero quinto Codice si adversùs vendit. Bellamera cap. Cum contingat, numero* 27. *de jurejuran. Igneus l. primo §. Si vir, aut uxor, numero* 156. *ff. ad Syllanianum, & repetit. ejusdem authent. numero sexto &* 36. *Curtius junior in ejusdem authent. repetitione, numero* 32. *Portius §. Extraneis, numero* 12. *instit. de hæredum qualit. & differ. Everardus loco à vi, & energia juramenti, numero* 16. & 17. *Covarr. de pactis* 2. *parte §.* 3. *numero secundo Anton. Gom. tom.* 2. *var. capit.* 14. *numero* 24. *vers. Item infertur, quòd donatio, Riminald. instit. Quibus alienare licet, in principio, numero* 207. *Caldas l. Si curatorem, verbo, Minoribus, numero tertio Codice de in integr. restit. Lara l. Si quis à liberis, verbo, Parens, numero* 120. *ff. de liber. agnosc. Hondedaus consil.* 31. *numero* 26. *volum.* 1.

62 Et hoc placet, quamvis non desint contradicentes. Quippe *Anton. cap. Cum contingat, n.* 8. *ad medium, de jurejurand. & ibi Abbas nu.* 8. *Imola nu.* 66. dicunt, etsi contractus non firmetur juramento, non dari repetitionem, nisi sit turpitudo in recipiente. Atque in hanc partem inclinat *Suarez eodem c.* 25. *n.* 10. dicens videri fieri posse, ut aliquod juramentum non confirmet, & non relinquantur justus repetendi titulus.

63 Quartus effectus est. Quando confirmat, nequit juramenti relaxatio obtineri, secùs quando non confirmat. Probatur ex textibus, qui in priori dicunt juramentum esse omnino, & inviolabiliter observandum Quæ verba omnem dispensationem, ac omne juris remedium excludunt. (Ut *numero quinto*, probavi.) Item, quia in priori casu acquiritur jus tertio ex illo contractu per juramentum firmato, secùs ex juramento in posteriori casu; & ideò in priori casu non est locus relaxationi, eò quòd cederet in tertii præjudicium; secùs in posteriori, ubi sola juramenti religio erga Deum obligat, & ideò subjacet relaxationi prælatorum. Atque ita sustinent *Bart. Jason, Curtius junior, Everardus, Covarr. Riminaldus, Caldas, Hondedaus numero* 61. relati. *Igneus repetitione d. authent. Sacramenta puberum, numero* 36.

64 Verùm contra huic effectum videntur *Angelus l. Si quis pro eo, in principio n.* 7. & 9. *ff. de fidejussor.* ubi etsi concedat non dari relaxationem, quando contractus firmatur juramento; addit tamen, nec eam semper dari, quando confirmatur, sed dumtaxat, quando is, in cujus favorem juratur, peccat retinendo rem eo contractu promissam. Et *Paulus ibi n.* 5. dicit posse dari relaxationem, quando contractus non firmatur in odium creditoris, eò quòd peccet recipiendo, unde videtur contrarium sentire, quoties ob aliam rationem non confirmatur. Et *Minchaca de successionum creatione, l.* 3. §. 38. *n.* 35. *versiculi, Quartus casus*, ubi ait tantùm posse peti relaxationem, quando est peccatum in recipiente. Et *Suarez eodem c.* 25. *nu.* 11. ait, ut universaliter verum sit non posse concedi relaxationem juramenti confirmantis contractum, debere intelligi ex vi conditionum intrinsecarum tali juramento. Quippe eis præcisè spectatis non invenitur justa relaxandi causa in juris tertio acquisiti præjudicium; secùs ex aliqua causa intrinseca. Circa aliam verò partem dicit *idemmet c.* 29. *n. ultim.* non semper posse juramentum non confirmans contractum relaxari ex vi conditionum intrinsecarum ipsius, sed id tantùm contingere, quando est turpitudo in eo, in cujus favorem præstatur. Quia (inquit) non est sufficiens causa, ut relaxari valeat, cadere juramentum in promissionem lege irritam. Quia cum illa lex sit in jurantis favorem inducta, & ipse sponte, & sine injuria voluerit, quantum in se est, non gaudere beneficio legis, quo ad executionem operis promissi, & hanc suam voluntatem juramento firmarit, nulla ratio patitur, ut sine alia causa liberetur obligatione talis juramenti. Quare concludit non posse relaxari sine alia magna, & extraordinaria causa.

65 Verùm quo ad priorem partem non est necesse recurrere ad intrinsecas intrinsecalve relaxationis causas. Quia mens Doctorum est id juramentum non posse relaxari à prælatis inferioribus, sed à solo Pontifice de plenitudine potestatis, qua in casu extraordinario potest ob bonum commune privare aliquem propriis bonis, & jure sibi acquisito. Quod explicuit *Paulus ea. l. Si quis pro eo, in princ. numero sexto*. Quod ad posteriorem autem existimo esse probabilius nullam aliam causam exigi, idque universaliter, quoties juramentum non confirmat. Quia aut non confirmat ratione turpitudinis inventæ in eo, in cujus favorem juratur; & tunc omnes admittunt eam solam esse sufficientem relaxationis causam. Aut non confirmat, eò quòd solam solvendi promissionem contineat, non excludens beneficium repetitionis, juxta dicta *numero* 20. Et tunc cum legibus justissimis contractus sit irritus, nullamque solvendi obligationem pariens, imò & iisdem concedatur soluti repetitio; eadem ratio, quæ justas efficit leges irritantes eum contractum, ac justam præbuit causam arctandæ voluntatis contrahentium, ne validè de rebus suis disponere possint, præbebit quoque ansam justam relaxandæ ejus juramenti obligationis in nullius præjudicium cedentis, utpote quæ nullum jus contulit parti, sed

ed soli Deo acquiritur; & ne alia via frustretur effectus per leges intentus. Quippe multò gravius est arctari voluntatem, ne de rebus suis disponat, quàm relaxari juramentum. Illudque graviorem causam postulat, ac superiorem voluntatem. Nec obstat jurantem renuntiasse sponte sua ei favori pro se inducto; quia ea renuntiatio nil prodest ad excludendum beneficium repetitionis, & ad reddendum validum eum contractum, sed adhuc manet in sua pristina natura, & eodem beneficio affectus. Nec obstat etiam eamdem rationem militare, quando contractus jure irriti firmantur juramento. Quia non militat, eò quòd eo juramento excludatur etiam beneficium repetitionis, & utrumque jus decreverit eam vim inesse hujusmodi juramento, ut eorum contractum naturam immutet, reddendo eos, aut in se validos, aut saltem quo ad effectus universos contractus validi. Ut diximus *numero* 15. Tandem probatur, quia cum juramento satisfiat momentanea solutione, & concedatur statim repetitio; ut diximus *n.* 61. est modicæ utilitatis ea solutio creditori, & vitantur lites agitandæ ad repetitionem, & fortè perjuria in iis committi solita. Ergo erit sufficiens relaxandi ejus juramenti causa. Quod apertè sentiunt Doctores allegati *numero* 17. dum dicentes jurantem in hoc regno solvere amissa ludo pecunia credita, ajunt excusari ab hac obligatione, impetrando juramenti illius non confirmantis contractum relaxationem. Ubi nullam aliam causam postulant, quam eam promissionem esse legibus irritam; & tamen nulla est turpitudo in recipiente solutionem, juxta veriorem sententiam. Ut *eo numero decimo septimo* adverti.

66 Quintus effectus est. Quando juramentum non confirmat contractum, nulla datur actio in foro externo adversùs jurantem. Ut probavi *capitulo præcedenti numero octavo*. Secùs autem, quando confirmat. Quia tunc acquiritur jus tertio. Et docet *Suarez tomo secundo de relig. tractatu de jurament. lib.* 2. *c.* 25. *num.* 7.

67 Ultimus effectus est circa transitum obligationis juratæ ad hæredes. De quo dicam *c. sequenti*.

CAPUT XIII.

Qualiter juramentum ita personale sit, ut ejus obligatio non transeat ad hæredes, & successores jurantis, nec ejus, cui juratur, nec per procuratorem præstari valeat?

SUMMARIUM.

An obligatio juramenti transeat ad jurantis hæredes? numero 1.
Quid si quis juravit pro se, & suis successoribus? n. 2.
An dignitas habens adnexa multa juramenta, nec jurans teneatur ad illa? n. 3.
An jurans non repetere aliquid à Titio, possit ab ejus hæredere petere, vel hæres jurantis possit repetere? n. 4.
An juramentum per metum, vel injuriam extortum, & quoties non confirmat contractum, transeat ad hæredes jurantis, saltem in vim contractus? n. 5.
Juramentum alicui præstitum, an transeat in hæredes ejus, cui præstatur? num. 6.
Juramentum obedientiæ præstitum alicui in dignitate constituto, quando obliget ad obediendum successoribus in ea dignitate? num. 7. & 8.
juramentum obedientiæ præstitum constituto in dignitate, an cesset illo deposito ab ea dignitate? n. 9.
Quid si ipse jurans deponatur à dignitate, ratione cujus jurat? num. 10.
An jurans, & ejus hæredes possint ratione juramenti conveniri coram judice Ecclesiastico? n. 11. & 12. & *eo num.* 11. *Quid de hærede ejus, cui juratur, an possit jurantem convenire coram judice Ecclesiastico?*
An laicus jurans contractum possit conveniri etiam coram judice laico, etsi vertatur in dubium valor juramenti? numero 13.
An quando uterque judex est competens, possit lite mota coram seculari adiri Ecclesiasticus, ut cogat observare juramentum? num. 14.
An petita ab Ecclesiastico relaxatione juramenti, possit coram eo de tota causa tractari? n. 15.
An laicus efficiatur quoque de foro Ecclesiastico, ut cogatur votum adimplere? n. 16.
An juramentum possit præstari per procuratorem, aut nuntium? num. 17.
An ad id desideretur speciale mandatum? n. 18.
An idem procedat in juramento promissorio, ita ut dominus non obligetur ex juramento promissorio procuratoris jurantis absque speciali mandato? Et explicatur, quando sit speciale mandatum, n. 19.
An liceat dare potestatem generalem procuratori ad jurandum in quacumque causa? n. 20.
An possit vassallus juramentum fidelitatis domino feudi præstare per procuratorem, consentiente, aut invito domino? numero 21.
An lege petente proprium alicujus juramentum, id possit per procuratorem præstari? n. 22.
Quid si petat juramentum propria alicujus manu fieri? numero 23.
An ad juramentum de calumnia præstandum, sufficiat mandatum generale factum procuratori ad omnes causas, & speciale ad jurandum de calumnia? n. 24.
An procurator obligetur ex juramento nomine partis præstito? num. 25.
An si res jurata falsa sit, tam procurator, quàm pars perjurium incurrant? n. 26.

1 NOn tractamus in præsenti de juramento promissorio soli Deo emisso; cum enim voti jurati vim habeat, de eo qualiter ad hæredes, & successores jurantis, transeat, agendum est in *libro sequenti*, in simili quæstione de voto. Sed in præsenti agimus de juramento homini præstito. Sit ergo prima conclusio. Jusjurandum homini præstitum est ita personale ex parte jurantis, ut ejus obligatio ex juramenti, ac religionis vinculo minimè ad hæredes transeat, ac successores ipsius jurantis. Quare hi non adimplentes juramentum defuncti, minimè erunt perjuri. Sed solùm tenentur hæredes adeuntes hæreditatem, in quantum ejus vires sufficiunt, ratione contractus defuncti, sicut ad cætera ejus debita, reliquosque ejus contractus tenentur. Ratio est, quia jusjurandum est personæ vinculum, & obligatio voluntariè assumpta ex virtute religionis. Ergo ex vi juramenti nequit ejus obligatio ad aliam transferri personam. Atque ita docent *D. Thoma secunda secundæ quæstione nonagesimo octavo articulo secundo ad quartum & ibi Cajet. Sotus libro octavo de just. quæstitione secunda articulo secundo ad quartum Abb. cap. Veritatis numero tertio de jurejurand.* & ibi communis. Et multi alii, quos referunt, & sequuntur *Covarr. capit. Requisiti numero secundo de testam. & de pactis prima parte §. quinto numero quarto Antonius Gomez tomo secundo variar. capitulo decimoquarto numero decimonono Padilla l. Si quis major, numero quinquagesimoprimo Codice de transaction. Gutierez de juramento tertia parte capitulo decimosecundo numero sexto Matienzo libro quinto recopil. titulo decimo libro tertio glossa decimatertia numero decimo.*

2 Quod quidem verum est, etiamsi quis pro se, & pro suis successoribus jurarit; nec enim tenebuntur successores ex vi juramenti. Quia cum religio juramenti personalis sit, ea à nemine alio potest quispiam obligari. Ita *Abb. Sylvest. quæstione tertia Padilla numero præcedenti* allegati.

3 Hinc deducitur, si Rex, Episcopus, aut canonicus, aut quævis alia dignitas habens adnexa multa juramenta, admitteretur ad suum officium absque ullo juramento, non teneretur ex prædecessorum iuramento illa servare, & ita si non esset aliud vinculum obligans ad illa, nisi iuramentum, esset liber ab illis; sed si esset aliud vinculum obligans officium illud, seu dignitatem, ut vinculum statuti, aut contractus, teneretur ratione hujusmodi vinculi servare illa, quæ non iuravit. Ita *Cajet. & Sotus, numer.* 1. allegati.

4 Secundò deducitur, si iuravi me non repetiturum certam rem à te, posse meum hæredem repetere à te; quia non iuravit; posseque me repetere ab hærede tuo. Quoniam iusjurandum ei non præstiti. Ita *Azor. libro undecimo institutionum moralium capite octavo, quæstione quinta*. Sed prior pars intelligenda est ex vi religionis iuramenti, nam ex vi contractus tenebitur meus hæres non repetere; iuxta dicta *n.* 1. Quòd si ego ex vi solius iuramenti tenerer, eò quòd esset per iniuriam extortum, poterit omnino meus hæres repetere; iuxta dicenda *n. sequenti*. Posteriorem autem partem non approbo. Quia iuramenti obligatio transit ad hæredes eius, cui iuramentum præstatur. (Ut *n.* 6. dicemus. Atque proinde ex vi iuramenti tenebor non repetere ab hærede tuo.

5 Conclusionem autem prædictam, ut hæres iurantis teneatur eius iuramentum implere ex vi contractus, extendunt quidam, etiamsi iuramentum non firmet iuratum contractum ratione turpitudinis eius, cui iuratur, sed ex sola iurisiurandi religione obliget. Ut cum iuratur latroni, vel usurario, vel alii, qui rem iuramento promissam tenetur restituere; iuxtà dicta *cap. præcedenti numero septimo, & octavo*. Ita *Abbas cap. Cum contingat, numero octavo de jurejurando*. Et potest probari, quia iuramentum soli Deo præstitum erogandæ alicuius eleemosynæ transit ad hæredes, tenenturque illud implere ex vi contractus, quamvis nulli pauperi, sed soli Deo ius ex voto acquisitum sit. Ergo etsi latro, & usurarius nullum ius acquisierint, sed solus Deus, ex iuramento illo tenebuntur hæredes implere. Sed omnino dicendum est, nulla ratione teneri hæredes id iuramentum implere, quamvis non impleverit defunctus; quia nulla contractus ratio obligabit defunctum, sed sola iuramenti religio. Quæ non transfertur in iurantis hæredes. Ut *numero* 1. diximus. Nec est simile de voto, aut iuramento eleemosynæ. Quia promissionem illam voti, vel iuramenti acceptat Deus, non ob voti, vel iuramenti solam religionem, sed etiam in quantum redundat in pauperis utilitatem; atque ideò, etsi non transeat ad hæredes ex vi iuramenti, aut voti, transit ex vi contractus illius cum Deo initi. At iuramentum per

injuriam extortum non acceptat Deus, in quantum redundat in utilitatem extorquentis, imò eo modo sibi displicet cum ille teneatur restituere, sed solùm acceptat ob juramenti religionem; quæ personalis est. Et ideò hanc partem sustinent *Imola, Alciatus, Parisius*; quot refert, & sequitur *Covarr. de pactis 2. p. §. 1. n. 7. vers. Quidquid sit, in fine, Gutier. auth. Sacramenta puberum, n. 21. C. si adversus vendit. Molina tomo 1. de justit. disput. 150. columna 3. versicul. Est verò hoc discrimen.*

6 Secunda conclusio. Juramentum non est personale ex parte ejus, cui præstatur: & sic transit in ejus hæredem. Ut jurans dare centum Petro, tenetur ex juramenti religione, defuncto ante solutionem Petro, solvere ea centum hæredibus Petri. Ratio est, quia actiones defuncti transeunt ad hæredem. Cum ergo defunctus habebat actionem, ut ex vi juramenti illa centum sibi darentur, eamet actio ad hæredem transibit. Juramentum enim intelligitur secundùm justitiam interpretationem ejus actus, cui adhæret. Actus autem hic ad hæredem transit. Atque ita docent *Angelus verbo Juramentum 5. n. 40. Sylvester verbo, Juramentum 4. qu. 1. dicto 1. & quæst. 3. Covarruvias cap. Requisisti, n. 2. de testament. & de pactis 1. p. §. 5. n. 4. Matienzo l. 4. recopilat. tit. 10. l. 3. gloss. 13. n. 11.*

7 Hinc deducitur, juramentum obedientiam alteri in dignitate, aut officio constituto, expresso ejus dignitatis, aut officii nomine, teneri ex vi illius juramenti, aut obedientiæ omnibus successoribus in ea dignitate, aut officio. Ut si quis inter obedientiam Episcopo Cordubensi, aut Rectori talis Collegii, tenetur ex vi illius obedire quoque successoribus. Secùs autem si solùm personæ nomen exprimat ut *juro Petro obedientiam*, juramentum constringit. Ita docent *Abb. c. Veritatis, in n. 2. de jurejurand. & ibi* Doctores *Sylvester* utroque loco allegato *n. praced. Azor. lib. 11. instit. moralium c. 8. q. 5.* Atque in simili diximus, & probavimus, agentes de commissione facta alicui sub nomine personæ, eam non transire ad successorem; secùs de facta sub nomine dignitatis, *l. 8. de matrimonio, disput. 27. n. 9.* Quid autem, si nominis dignitatis, & personæ mentio fiat? *Ibi* retuli à *n. 17.* varias sententias, & tandem *n. 20.* tamquam probabiliorem amplexi sumus dicentem non transire ad successorem, sive nomen dignitatis nomini personæ præponatur, sive postponatur.

8 Quatenus autem diximus juramentum illud obedientiæ præstitum alicui in dignitate, aut officio constituto, expresso nomine proprio, non transire ad successorem, temperandum est, nisi id juramentum præstetur illi circa rem ad dignitatem pertinentem. Tunc enim etiamsi nomine proprio expresso stat illi juramentum, transit ad successorem. Ratio est. Quia ut probavimus *lib. 8. de matrimon. disputatione 27. num. 3.* ad perpendendum, an actus sit personalis, & consequenter ad successores non transiens, an potiùs realis & transiens non principaliter spectandum est, an fiat expresso dignitatis, aut personæ nomine; sed hæc consideratio adhibenda est tamquam ultimum refugium, quando ex subjecta materia, vel aliis conjecturis, id discerni nequit, ex quibus id potiùs perpendendum est. At nulla hujus rei urgentior conjectura esse potest, ut judicetur actus non personalis, sed dignitatem respiciens, quàm fieri prætextu rei ad dignitatem pertinentis. Et ita contra alios, quos *ibi* refert, tenet *Covarr.* utroque loco, & *Matienzo* allegati *n. 6. in fine.*

9 Duo tamen observanda sunt. Prius est, juramentum obedientiæ præstitum alicui in dignitate constituto ratione illius dignitatis, non ampliùs obligare eo ab ea dignitate remoto. Quia causa ejus obedientiæ cessat *cap. Venerabilem, in fine, de elect.* Ita *Abbas cap. Veritas, numer. 3. de jurejurando, Sylvester verbo, Juramen. quæst. 2. dicto 1. & qu. 3. Cajetan. 2. 2. quæst. 89. art. 9. ad finem, Sotus lib. 8. de justit. quæst. 1. art. 9. ad 2.*

10 Posterius est, similiter quando quis jurat ratione alicujus dignitatis, aut officii in sua propria persona existentium, cessantibus illis cessat quoque obligatio juramenti; ut si quis tamquàm canonicus juret statuta suæ Ecclesiæ servare, vel tamquam judex statuta judicum non tenentur relictis canonicatu, ac judicis officio ea servare. Quia ea juramenta sunt dignitati, & officio adnexa. Ita *Abbas eo d. c. veritatis n. 3.*

11 Ex his deducitur intellectus ad *c. fin. de foro compet. in 6.* ubi statuitur ratione juramenti posse laicum apud judicem Ecclesiasticum conveniri. Quippe ea decisio locum obtinet in ipsomet jurante, non autem in ejus hærede. Quia ea procedit ob spiritualem jurisjurandi religionem, & quæ solum jurantem constringit. Ita docent *Joann. Andr. Abbas Bald. Anton. Roman. Parisius*, quos refert, & sequitur *Covarr. de pactis 1. p. §. 5. n. 6. Azor. l. 11. instit. moral. c. 7. q. 5. Gutierez* alios referens *auth. Sacramenta puberum, n. 16. C. si adversus vendit. & de juram. 3. p. c. 12. n. 7.* At e contra non solus is, cui jusjurandum præstitum est, sed etiam ejus hæres, poterit jurantem ad juramenti observantiam coram judice Ecclesiastico convenire. Quia, ut dixi *n. 6.* juramentum ex parte ejus, cui præstatur, non est personale. Ita *Covarr. ibi, Gutier. eo. c. 12. n. 7.*

12 Prior tamen pars procedit, quando hæres convenitur actione ex eo contractu celebrato per defectum; secùs si ageretur indirectè contra hæredem implorando judicis officium, ut compellat illum satisfacere ad exonerandam defuncti conscientiam. Quia tunc potest hæres jurantis coram judice Ecclesiastico conveniri, *cap. A. nobis, in fine, de sent. excom.* Et ita docent relatis *Abb. antiquo, Aufrerio*, & aliis, *Gutier. c. 12. num. 7. & dictæ auth. Sacramenta puberum, num. 16. Barbosa l. 1. p. 1. con. 77. ff. de solut. matrim.* Imò idem erit, etsi contractus non sit juratus. Quia non ratione juramenti convenitur hic hæres coram judice Ecclesiastico. Ita *Gutier. eo c. 12. n. 7.*

13 Dum autem *id c. finale, de foro compet. in 6.* decernit ratione juramenti essici laicum de foro judicis Ecclesiastici, non ita intelligendum est, ut non possit quoque conveniri coram judice laico; sed coram utroque poterit conveniri. Quia juramentum non mutat forum, sed addit forum foro. Ita contra *Joan. Monachum, & Archidiaconum*, tenent *Joann. And. Jason*, & alii, quos refert, & sequitur *Gutier. eo c. 12. n. 3.* Quod benè *n. 5.* intelligit, quando constaret juramentum obligare, secùs si verteretur in dubium probabile, an juramentum obliget. Quia cum de ejus viribus agatur, quod res spiritualis est, & ad religionem pertinens, judicis Ecclesiastici est ea cognitio. Vide aliam limitationem *hic nu. 16. in fine.* Et de hac limitatione optimè agit *Felin. c. 2. à n. 28. de sponsal.* & vide, quæ dixi *l. 1. de matrim. disp. 32. n. 18. ad finem.*

14 Atque lite mota coram judice seculari de contractu jurato, potest Ecclesiasticus adire, ut cogat partem, & judicem secularem ad juramenti observantiam; nec potest ipsi objici litis pendentia. Ut cum *Joanne Andreæ, Maranta*, & aliis, sustinet *Gutierez. eo c. 12. n. 4. & 5.*

15 Imò, si quis petat relaxationem juramenti coram judice Ecclesiastico ad effectum agendi, dicunt quidam posse eo relaxato, coram eo de tota causa litigari. Quia qui fuit judex causæ præparantis, & sic relaxationis juramenti, erit quoque judex præparatæ. Ita *Bal. & Jason*, quos refert *Gutier eo. c. 12. n. 6.* & est communis opinio, ut ait *Covarr. l. 1. variar. c. 4. n. 8.* Sed meritò contrarium tenent alii, quos referunt, & sequuntur *Covarr. & Gutier. ibi*, dicentes posteà circa rescissionem contractus, qui non est fori Ecclesiastici qualis esset, si examinandum esset, an esset usurarius, aut simoniacus, aut aliud vitium fori Ecclesiastici haberet, non posse nisi còram judice laico agi. Quia textus *dict. c. finali* procedit favore juramenti observandi; at in hoc casu non agitur de illo, sed de contractus ad forum Ecclesiasticum non pertinentis viribus.

16 Tandem decisio *d. c. finalis* procedit etiam in voto. Quippe si de ejus observantia agatur, laicus convenitur coram judice Ecclesiastico. Quia est vinculum spirituale, sicut & juramentum. Atque ita allegatis, *Abbate, c. Licet, num. 3. notabili 3. de voto, Franco*, & aliis docet *Gutierez. eo cap. 12. num. 10.* Imò quando votum, & juramentum soli Deo fierent, solus judex Ecclesiasticus esset competens ad eogendum illa observare. Quia cum nullus sit contractus cum homine aliquo inito, sed soli Deo jus acquisitum sit, ex spirituali religionis vinculo solus judex spiritualis erit competens. Si autem votum illud sit parti intimatum, & ab ea acceptatum, in cujus favorem emissum est, erit uterque judex competens. Sicut *numer. 13.* diximus de juramento.

17 Ultima conclusio. Juramentum quamvis personale sit ex parte jurantis, potest tamen præstari per procuratorem. Ut constat ex *c. ultimo, de juram. columnia, in 6. & c. 1. §. Verùm, de statu regular. in 6.* Sicut matrimonium actio personalis est, & tamen potest contrahi per procuratorem, *cap. finali, de procurat. in 6.* Potest etiam per nuntium præstari; sicut & matrimonium potest per nuntium iniri. Ut benè docent *Covarr. de pactis 1. p. §. 5. n. 8. Azor. l. 11. institut. moral. c. 7. quæst. ultima.*

18 Exigitur tamen speciale mandatum jurandi commissum procuratori illi, vel nuntio, ut nomine alterius jurare possit. Quod *n. sequenti*, & probabo, & latiùs explicabo. Et ita *l. 2. tit. 7. lib. 4. novæ recopilat. regia* sic dicitur. *Respondeo el procurador, so juramento con podere special, estando bien instruido, y informado.* Et ita docent *Covarr. & Azor. n. praecedenti* allegati, *Sotus lib. 8. de just. quæst. 2. art. 2. ad finem, Julius Clarus lib. 4. receptarum, §. Feudum, quæst. 49. in fine, Matienzo lib. 5. recopilat. tit. 10. l. 6. glossa 2. nu. 15.* multo allegans, *Petrus de Ledesma 2. tomo summæ, tractatu 11. c. 5. dub. 2. coroll. 4.*

19 Hoc autem mandatum speciale potest dupliciter dari procuratori. Primo modo, generaliter ad jurandum in quacumque dantis causa. Secundo modo, specialiter in causa speciali illi commissa. Utroque enim modo dicitur speciale mandatum, quia est speciale ad jurandum; sed priori modo dicitur generale respectu causarum, eò quòd causa specialis non assignetur; posteriori autem modo dicitur etiam respectu causæ speciale; cum ad jurandum in causa speciali sit. Dubitatur ergo, an requiratur mandatum utroque modo speciale? Et quidem, quando juramentum est assertorium, ut quando procurator nomine partis jurat eam non ex malitia opponi executioni; aut debitum petitum verè deberi, omnino dicendum est exigi speciale mandatum utroque modo nempe, ad jurandum, & in speciali causa nominata. Et ampliùs hoc patebit ex dicendis *n. 24.* Quia juramentum assertorium certam, & determinatam veritatem exigit. At nulla ratione potest procurator juramento nomi-

nomine suæ partis præstito asserere, ut verum aliquid, nisi specialiter habeat in mandatis formulam hanc. Cum alioquin dubius, & incertus sit, an dominus id verum esse sciat, & an sub juramento requisitus id verum esse asseveraret. Et ita asseverant *Sotus, Covarr. Petrus de Ledesma praecedenti* allegati. Et dicit optimè *Sotus* exigi speciale mandatum ad singulare illud juramentum. Quare existimo, ut dicam *num. sequenti*, non sufficere generale mandatum ad omnia juramenta, quæ in alicujus causæ progressu necessaria fuerint. Quia ex hac generali commissione non potest procurator certùs reddi, an in quovis casu speciali postea occurrente norit pars juramentum id esse verum. At in juramento promissorio servandi alicujus contractus non videtur militare ratio prædicta: atque ita videtur sufficere mandatum speciale ad jurandum, licèt sit generale quo ad causas. Sed clarè *Covarr. num. praecedenti* allegatus videtur sentire exigi quoque speciale quo ad causam. Quia de utroque juramento eodem modo loquitur. Et probat ex *c. finali, de procurator. in 6.* qui textus agit de matrimonio per procuratorem ineundo, exigens speciale omnino mandatum, & quo ad matrimonium, & quo ad personam, cum qua ineundum est; infertque inde *Covarr.* ad causas spirituales specialissimum mandatum exigi, qualis est causa juramenti. Et in propriis terminis tenent *Sotus, & Petrus de Ledesma num. praced.* allegati. Atque ita tenendum existimo. Quia in eo quoque juramento exigitur veritas de præsenti, nempe, animus servandi contractus juramento promissi, ac proinde, ut procurator nomine partis juret, exigitur speciale mandatum ad jurandum in contractu speciali, ut ex eo mandato certior fiat procurator de vero animo mandantis. Quando autem procurator nomine partis absque legitimo ejus mandato jurat contractam, non tenebitur pars ex vi illius juramenti; putpote quod absque legitimo ejus consensu præstitum est. Sed tenebitur ex contractu, ob facultatem generalem ei ad contrahendum suo nomine concessam. Quod benè docent *Cajetanus 2. 2. quæst. 89. artic. secundo ad finem, Sotus, & Petrus de Ledesma num. praced.* allegati.

20 Ex his deducitur primò, non esse licitum, quando quis procuratorem in propria causa instituit, dare illi generalem facultatem præstandi quodcumque juramentum nomine partis. Quia nemini licet jurare nomine partis quamcumque veritatem, sed illam solam, quam priùs certò norit. Cum ergo procurator nequeat veritatem certò nosse, nisi instructus specialiter à domino, ita ut dominus causæ specialiter ei dicat, *jura nomine meo hoc*, iniqua erit talis facultas, & virtute illius non poterit procurator jurare. Ita *Sotus, & Petrus de Ledesma ibidem.*

21 Secundò infertur, contra *Baldum, & alios*, quos refert *Covarr.* posse vasallum ex consensu domini juramentum fidelitatis domino feudi præstare per procuratorem habentem ad id speciale mandatum; per textum *c. 1. §. Verùm, de statu regular. in 6.* Atque ita docent *Covarr. Julius Clarus, & Matienzo num. 18.* allegati. Quatenus autem hic textus petit, ne dominus contradicat, intelligitur, nisi vasallus ita justè impeditus sit, ut nequeat commodè ad dominum ipsum accedere. Tunc enim potest etiam domino invito mittere procuratorem, aut nuntium speciali mandato instructum ad juramentum fidelitatis præstandum. Sic *Covarruv. ibidem.*

22 Imò, etsi lex petat proprium alicujus juramentum in aliquo casu, potest id per procuratorem habentem speciale mandatum præstari: dummodo is actus ejus conditionis sit, ut per alium geri possit. Ut sunt jusjurandum fidelitatis, & quod in lite, aut contractibus interponitur: secùs si per alium geri actus non potest, ut est jusjurandum, quo quisquam testificari debet. Et sic intelligitur *cap. 2. de testibus*, Ita *Covarr.* multos allegans, & *Azor.* allegati *numero 18.*

23 At si lex petat juramentum propria manu præstari, nequit per procuratorem cum speciali mandato, per *cap. Si vero, el. 2. de sentent. excommunicationis.* Et docent *Covarr.* multos allegans, & *Azor. ibidem.* Etsi alii, quos refert *Covarr.* aliter sentiant. Temperat tamen benè *Covarr.* cum aliis, quos refert, nisi in iis, quæ nullius, aut modici sunt præjudicii.

24 Tertiò deducitur, minùs benè aliquos dicere ad juramentum de calumnia præstandum per procuratorem nomine partis, sat esse mandatum generale ad omnes causas, & speciale ad jurandum de calumnia, etsi non exprimatur in specie causa, super qua juramentum hoc præstandum est. Et ita dicunt *Bartol. Alexand. & Capella Tholosana* quos refert *Covarr.* esse praxi receptum. At hæc praxis injusta est, & requiritur ad hoc juramentum mandatum speciale ad jurandum de calumnia in speciatim nominata causa, & lite. Nam cum hic procuratore jurare debeat in animam partis, non poterit absque ejus speciali consensu eam obligare ad perjurium. Item, quia non est certus procurator abesse in ejus litis defensione, aut prosecutione calumniam. Ita *Bartolus, Abbas, Barbatius, Alexander*, quos refert, & sequitur *Covarr. de pactis 1. parte, §. 4. num. 8.*

25 Tandem duo monuerim. Prius est, quando procurator ex speciali partis facultate jurat, ipse ad nil manet obligatus, sed sola pars, cujus nomine juratur, manet obligata. Sicut contingit, quando procurator nomine alterius matrimonium init. Ita *Cajetanus 2. 2. quæst. 98. art. 2. in fine, Sotus, & Azor. num. 18.* allegati.

26 Posterius est, si talis procurator nomine partis jurans juret scienter falsum, aut dubium, tam ipse, quàm ea, cujus nomine jurat, perjurium incurrunt. Quia etsi procurator nomine alieno juret, & in animam partis, consentit tamen in perjurium partis. Ita docet *Sylvester verbo, Perjurium quæstione 3.* addens, quo ad pœnas perjuris jure statutas solùm dominum esse perjurum. Quòd si procurator bona fide præstet id juramentum, ignorans fallitatem, aut dubium instructionis partis, immunis erit culpæ, totaque in partem refundetur. Ut benè docet *Cajetanus nu. 25.* relatus.

CAPUT XIV.

Qualiter obliget juramentum servandi statuta rei publicæ, collegii, universitatis alicujus, confraternitatum, officii? Et an id extendatur ad futura, & ad ea, quæ ratione desuetudinis, aut alia ratione non obligant?

SUMMARIUM.

An juramentum servandi statuta intelligatur etiam de posteà editis? num. 1.

Transgressio juramenti servandi statuta, cujusque communitatis, an semper culpam continet? Et qualem? num. 2.

Quando reputanda sit materia gravis ut culpa sit mortalis? num. 3.

An peccent transgredientes statuta jurata confraternitatum obligantia sub aliqua pœna? nu. 4.

Juramentum servandi secreti, quando obliget ad mortale? numero 5.

Transgressio præceptorum Rectorum universitatum sub pœna præstiti juramenti, quando sit mortalis? num. 6.

Juramentum servandi statuta, an extendatur ad non licita, & non impossibilia? num. 7.

An extendatur ad non recepta, aut usu abolita aut alia ratione non obligantia? num. 8.

Quid, si id juramentum sit servandi alicujus statuti specialis usu non recepti? num. 9.

Et quid si id revocatum sit? num. 10.

Quid, si id statutum posteà licitum fiat? num. 11.

Quid, si id statutum posteà usu recipiatur, aut consuetudinè servetur? num. 12.

Quid si juretur res illa independenter à statuto? Et quando censeatur sic jurari? Et quid in dubio? num. 13.

Qualiter inte ligatur juramentum ministrorum publicorum, servandi stipendii lege taxati? num. 14.

An juramentum Decurionum, vulgo, Jurados, y Vientiquatrot, *obliget ipsos ad inquirenda peccata publica, eaque nuntianda? Refertur quadam sententia, num. 15.*

Explicatur sententia Auctoris, num. 16.

1 HAnc rem duplici regula tradita, & ex ea illatis corollariis absolvam. Prior regula est. Quamvis nonnulli velint juramentum absolutè præstitum servandi statuta alicujus communitatis, intelligi tam de editis, quàm de edendis in posterum; secùs si esset expressè de servandis statutis editis. tunc enim non extenderetur ad edenda; ut expressè habetur *c. penult. de jurejur.* Ita sentiunt *Card. eo cap. penult. numero uni. paulò post princ.* Et videntur clarè sentire *Joann. Andr. ibi num. 2. Anton. num. 3. opposit. prima.* Alii verò distinguunt sic. Si futura sint magni præjudicii juranti, non extenditur ad illa; secùs si sint modici. Ducuntur ex *l. finali, C. quæ res pignor.* ubi sub obligatione bonorum simpliciter facta, comprehenduntur etiam bona futura; eò quòd obligatio hæc modicum præjudicium afferat. Ita allegato *Bartolo* sentiunt *Abb. eo cap. penult. num. 2. D. Anton. 2. p. tit. 1. c. 6. §. 6. Rosell. verb. Jurare num. 25.* At verius est, id juramentum simpliciter præstitum minimè extendi ad futura, nisi expressè jurans ad futura id extendere velit. Quòd jusjurandum ob perjurii periculum, & ob detrimentum, quod sequi potest, strictissimi juris sit, & interpretationis, ita ut non comprehendat id, quod verba latè significant. Præterea, quia cum futura sint incerta, & dubia, gravesque ac molestos exitus interdum habere soleant, non est verisimile jurantis intentionem ad ea protendi, aut fore, ut ea juraret, si menti occurrerent. Atque ita docent *Antonius eo c. penultimo num. 1. notabili 1. Baldus ibi numer. 1. Alexander de Nevo num. 13. & duplici sequenti, Angelus verbo, Juramentum 5. quæst. 23. Armilla verbo, Juramentum numer. 37. Tabienæ verbo, Jurare quæstion. 38. Azor. libro 11. institution. moralium cap. 8. qu. 7. Petrus de Ledesma 2. tomo summæ, tractatu 15. cap. 5. dubio 2. coroll. 2.* Atque specialiter limitationem *Abbatis* reprobant *Alexander de Nevo, & Sylv. ibid.* Intelligitur tamen hæc regula, nisi novum illud statutum ad solius veteris declarationem ederetur, vel ad tacita in antiquo statuto declaranda; ad illud enim extenderetur id juramentum. Quia tunc non est novum statutum sed idem cum veteri, *§. finali, authent. de fil. antedot. instrument. nat.* Et ita docent *Baldus ibi, & Alexand. de Nevo, num. 13.*

2 Posterior regula est. Juramenta hæc non ita sub mortali obligant, ut transgressor cujusvis statuti peccet mortaliter, sed intelligenda sunt ita obligare, ut res illa servanda contineatur in statutis; nimirum, si statutum est tanti momenti, ut obliget ad mortale, obligabit juramentum ad mortale; si autem sit leve, ita ut ad veniale solùm obliget, juramentum ad veniale obligabit. Quòd si statutum ad nullam culpam obliget, sed tantùm sub consilio sit, juramentum ad nullam quoque culpam adstringet. Constat ex *Clo. 1. §. Cum igitur in primis, versic. Declaramus, de verbor. significatione*; ubi hoc ita definitur de voto servandæ regulæ fratrum minorum. At eadem est ratio de voto, & juramento. Et hujus ratio est, quòd hic non juret præcisè servare rem illam in statuto contentam, sed prout continetur in statuto, seu statutum ipsum. Ergo obligatio juramenti metienda est juxta statuti obligationem. Atque ita docent *Gerson. 2. p. in regulis moralibus, tractatu de superbia, alphabeto 24. litera R. & 3. p. tractatu de vita spirituali, alphabeto 63. litera O. Medina 1. 2. quæstione 96. artic. 4. column. antepenult. versic. Ex his patet, & libro 1. summæ cap. 16. §. 11.* Atque idem sentiunt *Joannes Andreas, Hostiensis, Gomezius*, quos refert, & sequitur *Padilla l. Cum proponas, num. 2. C. de transact.* qui ajunt jurantes aliqua præcepta sub certa pœna non esse perjuros transgrediendo, nec peccare mortaliter, sed satis esse pœnam solvere.

3 Existimo autem tunc materiam statuti jurati esse gravem, ut constituat perjurium mortale, quando tanti momenti est, ut juramento secluso statutum suæ materiæ ratione sufficiens esset ad obligationem sub mortali. Quia juramentum obligat instar præcepti, illique tantùm addit novas vires, ut sit nova mortalis culpa perjurii sacrilegi transgressio illius. Atque ita sentire videtur *Gerson d. alphab. 24. litera R.* dum ait id juramentum tantùm obligare sub mortali in iis, in quibus divina lex sic obligaret.

4 Hinc deducitur, eos, qui statuta alicujus confraternitatis jurant, decernentia aliquid sub certis pœnis faciendum aut omittendum, nullam culpam contrahere illa transgrediendo. Quia ea statuta ad solam pœnam solvendam legitimè petitam obligant. Ita colligitur ex doctrina allegata *n. 2. in fine*. Et ita dicit fortè esse verum *Medina eodem art. 4. eodem vers. Ex his patet*.

5 Secundo deducitur, juramentum servandi secreto ea, quæ in congregationibus tractantur, quale faciunt oppidi Rectores, vulgo, *Jurados y Vientiquatro*, Auditores regii, & quidam alii publici Ministri, non obligare sub mortali in quavis re modica. Sed juxta materiam, quæ detegitur, judicanda est culpa. Si enim ea sit gravis momenti, detectio erit mortalis; si autem levis, erit venialis. Atque idem sentio, etsi aliquod speciale secretum juret quispiam se servaturum. Nec enim erit mortalis transgressio, sed venialis, si levis momenti id secretum sit. Et ita intelligendi sunt *D. Anton. 2. p. tit. 10. c. 8. §. 3. Navarr. summ. c. 12. n. 23.* dum absolutè docent reum mortalis culpæ esse, revelantem id secretum juratum. Et constat ex dictis *c. 4. n. 23.* ubi probavimus solam culpam venialem esse transgressionem juramenti in re levi, sive res illa sit totalis, sive partialis materia juramenti.

6 Tertiò deducitur, Scholasticos transgressores præcepti Rectorum academiarum sub pœna juramenti præstiti, non esse perjurii mortalis reos, ubi materia non est gravis. Ut cum jubentur sub pœna præstiti interesse certæ congregationi, missarum Sacrificio, publicæ, & solemni supplicationi. Quippe hujusmodi præcepta piè interpretanda sunt ut eorum mens non sit Scholasticos perjurii reos, si non obedierint, sed potiùs credendum est mentem esse, ut Scholastici jurisjurandi memores, cujus vinculo adstricti sunt, ea præcepta non contemnant. Atque ita docent *Gerson 3. p. tract. de vita spirit. alphab. 63. litera O. in fine, Driedo lib. 2. de libert. Christ. c. 1. ante propositionem tertiam; in alia editione est, lib. 1. c. 2. articulo 3. ante tertiam propositionem, Major in 3. d. 39. qu. 4. Covar. de pactis 1. p. §. 7. in fine, Medina lib. 1. summæ c. 16. §. 11. & 1. 2. q. 96. art. 4. quatuor columnis ante finem vers. Verum ut veritas, Manuel. 2. tomo summæ c. 9. num. ultimo, Vasquez 1. 2. qu. 96. art. 4. disp. 158. c. 5. num. 51. Azor. lib. 11. instit. moral. c. 8. qu. 11.* Nec quamvis rectorum intentio esset in iis rebus levibus obligare sub mortali, sic obligarent hæc præcepta. Ut constat ex dictis *lib. 1. cap. 4. num. 3.* Et ita docent *Driedo ibidem, Manuel, Medina eo artic. 4. eodem vers.* allegato. Qui benè addit culpam esse venialem in his levibus non obedire absque causa legitima. Quòd si materia esset gravis, transgressio foret mortalis. Ut si rector sigillatim vocaret aliquos pro causis gravibus decidendis, jureque optimo omnium præsentiam exigentibus, idque sub pœna præstiti præciperet, obligaret sub mortali. Ita *Driedo, & Manuel, Medina* utroque loco allegato. Quidam autem materiam gravem ad hoc reputant, quando scholastici sub pœna præstiti jubentur, ut rectorem comitentur in die sancti Nicolai, & similibus. Et *Medina in summa, eodem §. 11.* censet materiam esse gravem indui scholasticum vestibus sericis contra universitatis statuta. Sed neutrum credo esse materiam gravem ad constituendum mortale. Quod alii viri docti meliùs censent.

7 Quarto deducitur nec esse juramenti transgressorem, qui statuta, aut non licita, aut non possibilia minimè servat. Ut expressè habetur *cap. 1. de jurejur. in 6.* ubi decidi-

tur juramentum generale servandi statuta, intelligi de licitis, & possibilibus. Ne juramentum sit vinculum iniquitatis.

8 Quintò deducitur, nec virtute ejus juramenti teneri jurantem ad observanda ea statuta, quæ aliqua ratione non obligant. Ut quia recepta non sunt, aut in desuetudinem abiere. Quia id juramentum est de solis statutis servandis, quatenus ea obligant, ut *num. 2.* diximus. Ergo quoties ex quavis causa obligare desinunt, cessabit perinde juramenti obligatio: eò quod jam illa non sint statuta; atque juramentum fuit illis accessorium, quatenus statuta erant. Et ita docent *Driedo lib. 2. de libertat. Christian. c. 1. post 3. propositionem: in alia editione est lib. 1. c. 2. art. 3. post 3. propositionem, D. Anton. 2. p. tit. 10. c. 6. §. 6. in fine, Sylvest. verbo, Juramentum 4. qu. 23. in fine, Tabiena verbo, Jurare q. 36. in fine, Navar. summa cap. 25. num. 23. Duennas regula 79. ampliatione 3. Aviles c. Pretorum, in proœmio glossa finali num. 10. Burgos de Paz l. 1. Tauri num. 365. & 366.* & multi alii, quos refert, & sequitur *Gutierez de juramento 1. p. c. 38. num. 14. Az. lib. 11. instit. moral. c. 8. qu. 8.* Atque ob eamdem rationem, quando certo modo recepta sunt, vel partim sunt recepta, eo solo modo juramentum obligabit, quo illa recepta sunt. Quia eo solo modo ipsa statuta obligant.

9 Atque hoc non tantùm verum esse credo, quando quis jurat se servaturum statuta in genere, in quibus aliqua recepta, & usu probata sunt, alia verò in desuetudinem abiere: sed etiam quando in individuo petitur à quopiam juramentum servandi alicujus peculiaris statuti, id enim juramentum cum non sit rei illius implendæ secluso statuto, sed servandi statuti, vel rei implendæ juxta statuti prescriptum, est intelligendum, servandi illius, prout usu receptum est, & in quantum illud obligat. Ut optimè *Suar. 4. tomo in 3. p. disp. 35. sectione 3. num. 5.*

10 Et idem dicendum est, si statutum id revocetur per potentem revocare. Quod probant rationes traditæ duplici *num. praced.* Et tenent *Joann. Andr. & Abb.* quos referunt, & sequuntur *Angelus verbo, Juramentum 5. n. 39. Sylv. verb. Juramentum 4. qu. 2. Tabiena verbo, Jurare, q. 36. Armill. verb. Juram. num. 36. Cajet. 2. 2. q. 89. art. 9. ad finem, Sot. lib. 8. de just. q. 1. art. 9. col. ultim.*

11 Quòd si statutum juratum tempore juramenti non erat justum defectu alicujus circumstantiæ: at postea licitum fiat, obligabit id juramentum à solo eo tempore, quo est licitum. Ut juravit quis servare statuta, inter quæ est unum non ligans defectu confirmationis superioris, non obligabit juramentum pro tempore, quo illa deest; at ea accedente ligabit. Ratio est, quia id juramentum non est restrictum ad tempus, quo id statutum injustum erat, vique obligandi carens, sed extensum ad totum tempus futurum. Ergo obligabit tempore, quo id statutum firmitatem obtinuerit. Sicut qui innodatus excommunicatione vovit se singulis diebus in posterum auditurum sacrum, tenebitur audire non tempore excommunicationis, quo id est illicitum, sed tempore, quo ab illa liber fuerit. Ita docet *Navarrus summæ Latina c. 12. nu. ult.* Reliqua circa materiæ mutationem videnda sunt *lib. sequenti, toto capite nono*.

12 Atque idem censendum est, si aliquod ex iis statutis juratis non esset usu receptum; at postea usu reciperetur; à tempore enim solo receptionis obligabit juramentum ejus statuti observandi. Quia lex nondum à subditis recepta, & ob id non obligans, non censetur revocata, quasi lex non esset, sed ejus obligatio suspensa est, vimque accipit, cum postea acceptatur. Ut optimè docet *Navarrus lib. 1. consil. in utraque editione, titulo de constitution. consil. 1. qu. 7. nu. 8.* Ergo ex tunc obligabit juramentum, sicut & statutum. Secùs autem esset, si statutum revocaretur per potentem revocare; quamvis enim postea denuo ederetur, non obligaret juramentum ad illud. Quod, ut *num. 1.* diximus, juramentum intelligitur de solis statutis tempore illius editis, ubi non constat de alia iurantis intentionis. At hoc statutum, ubi semel est revocatum, perinde est, ac si numquam extitisset; & quando de novo editur, est iam omnino novum. Et idem crederem, si semel acceptatum vires obligandi recepit; at postea consuetudine legitima abolitum est; quamvis enim postea nova consuetudine induceretur, iuramentum non extendetur ad illud. Quia cum consuetudo potens sit legem revocare, ac abolere, instar ipsius principis, *cap. finali, de consuetud.* idem est, ac si princeps revocasset, ac postea edidisset.

13 At prædicta limitanda sunt, nisi iurans vellet scienter se obligare ad rem illam statuto contentam independenter à statuto; tunc enim si res illa est licita, tenetur ad observandum, etsi statutum non obliget. Quia iuramentum ex sua intentione ad id extensum est. Et ita docent *Abbas c. Dilecto num. 19. de præbend. Angelus, Sylvester, Tabiena, Armilla num. 10.* allegati. Atque ait *Driedo num. 8.* relatus, teneri iurantem ad statuta licita servanda etiam usu abolita, quando specialiter, & nominatim singula statuta ei leguntur, & intentio ipsius etiam ad abolita servanda fertur. At existimo in dubio non præsumendam esse eam iurantis intentionem, sed servandi statuta, quatenus statuta obligantia sunt. Imò, etsi statuti non fiat mentio in iuramenti petitione, si tamen id petitur auctoritate publica virtute illius statuti, & ut id observetur, est accipiendum iuramentum, quatenus statutum obligat. Quia nec potestas publica potest, nec censetur alio

modo

modo id iuramentum petere. Quare cautè intelligendi sunt *Abbas, Sylvest. Tabiena* proximè allegati, dum dicunt non obligare id iuramentum ad statutum revocatum, quando est mentio statuti; v. g. dicendo, *juro me servare statuta, vel hoc, ut continetur in statuto*; intelligendi enim sunt quando intentio non fuit iurandi habito respectu ad statutum. Et ita meliùs id explicuit *Angelus verbo, Juramentum 5. n. 36.* his verbis, quando juratum est non habito respectu ad statutum.

14 Sextò deducitur, quid dicendum sit de quibuscumque Ministris publicis iurantibus servare stipendium lege taxatum, vulgo, *el aranzel*, quando probabiliter judicaretur à viris doctis esse successu temporum minùs sufficiens, & injustum. Quod quando eveniat, non est præsentis loci disputare, seu casu, in quo ita esset, tractamus. Dicendum enim est, id iuramentum non obligare ad eam stipendii laboris taxam, quæ injusta est. Nam (ut diximus *num. 8.*) juramentum servandi statuti intelligitur, quatenus illud justum est, & obligatorium. Non ergo obligabit iuramentum ad eam taxam, quatenus injusta est. Nec obstat iurantem latroni cogenti se daturum ei nummos, teneri solvere etsi injustè latro exigat: eò quòd id iuramentum licitè observari valeat. Cum ergo similiter id iuramentum servandæ illius taxæ possit, & absque peccato observari, obligabit utique, etsi injustè exigatur. Non (inquam) hoc obstat. Quia latro petit, ut ea pecunia non sibi debita, sed injustè extorta, sibi promittatur. At auctoritas publica suo munere fungens non petit injustè iuramentum, nec legis, quatenus injusta est, sed id iuramentum exigere censetur servandæ legis, quatenus justa est, ac vim obligandi obtinens: quare non aliter id iuramentum obligabit.

15 Tandem deducitur, quid dicendum sit de iuramento decurionum oppidi, quos vulgo, *Jurados, y Vientiquatros, o Regedores*, appellamus, quo iurant se publico oppidi bono prospecturos. *Navarra lib. 3. de rest. c. 3. in nova editione 3. dubio 3. num. 20. vers. Secundò peccant*, ait decuriones, quos vulgo, *Jurados*, appellant, peccare mortaliter, si sint notabiliter negligentes in procurando speciali suo parochiæ bono; ut si in ea sint publici concubinarii menæ ad ludos publicè expositæ, quas vulgo, *tablajos*, appellant, vel alia peccata publica, & non curant hæc omnia privatim cognoscere, ut ea manifestent judici, vel prælatis, vel eis, quibus incumbit remedium adhibere. Idque probat, quia hoc jurejurando promittunt, cum ad officia admittuntur; atque hoc est eorum munus, ut sint tamquàm oculi reipublicæ ad peccata hæc denuntianda, ut vitentur. Atque idem docent *Manuel. 2. tomo summæ c. 28. num. unico, in 4. interrogatione*, dicens teneri eos lege naturali sub mortali ad inquirenda peccata publica suæ parochiæ, interrogandumque parochos, & monendum, ut eos certiores faciant de necessitatibus spiritualibus, & temporalibus suæ parochiæ, ut eis consulant. Probat autem id, quia sunt reipublicæ quasi patresfamilias; at hi ad hoc tenentur. Item, quia *l. 13. §. 8. tit. 2. lib. 8. & l. 10. tit. 1. lib. 7. novæ recopilationis regia*, jubentur hi decuriones in sua parochia habitare; ea ratione reddita, ut melius possint suum munus. Quod ad nil aliud tendit, nisi ut spirituales, ac temporales ejus parochiæ necessitates facilius nosse valeant. Atque idem dixere quidam viri docti Hispali consulti dicentes tunc hos peccare mortaliter, quando ex eo, quòd hæc publica non denuntiant, nec de eorum remedio in conventu urbis publico agunt, vulgo, *en el Cabildo, ò Consejo*, sequitur grave reipublicæ damnum. Idque probant, quia urbis rectores, seu decuriones dati sunt, ut prætorum adjutores, ac consiliarii. At prætores in his publicis vitiis extirpandis valde negligentes peccant mortaliter.

16 Cæterùm peritissimos hujus regiæ Cancellariæ Granatensis advocatos consului; ac omnes unanimi consensu subscriptione sua confirmarunt, decuriones urbis ad hoc non teneri, sed sua tantùm interesse agere de rebus regimen civitatis politicum concernentibus, ut de provisione populorum, pretiis rerum venalium, de conservandis, defendendisque civitatis rebus, & de eis legitimè expendendis; de frumentario deposito tuendo, & providendo, ne id deficiat; & ne ministri civibus injuriam irrogent, suisque ministeriis abutantur: & ut oppidum in pace conservetur, ut si latrones publici grassarentur, tenerentur curare remedium adhiberi, ut viæ essent tutæ, & si alicubi sit pestis, tenentur civitatem custodire, & si ipsa civitas peste infecta sit, curare, ut ægris medicina adhibeatur, & providere incolumitati urbis. At omnes illi dixere non teneri decuriones urbis, quos *Jurados, y Vientiquatros* appellant, alia peccata publica, ut concubinatus, publicas ludi mensas, inquirere, nec de eorum punitione, aut remedio tractare in suis conventibus, nec ea judici, aut prælatis denuntiare, nisi quando lex correctionis fraternæ quemcumque alium proximum obligat. Cui sententiæ libentissimè accedo. Ducor autem, quia præcepta absque urgenti ratione multiplicanda non sunt. At nulla ratio cogit hoc præceptum adstruere. Quod constabit destruendo fundamenta contraria. In primis enim non est verum eos in jurare. Nam forma juramenti hæc est, *Assi de los Jurados, como de los Vientiquatros. So cargo del juramento prometido de usar, y que usarà bien, y fidelmente del dicho officio de Jurado, ò Vientiquatro, y en el guardarà el servitio de Dios nuestro Senor, el de su Magestad, y desta ciudad, y guardarà sus privilegios, y franquezas, y libertades que tiene, y las demas provisiones Reales, y sus ordenanças confirmandas del pan del posito, y las demas que tiene, y sus buenos usos, y costumbres, y guardarà el secredo del Cabildo, y en los casos de justicia la harà à las partes: y en todo harà, y cumplirà lo que es obligado à compler en el dicho su officio.* Ubi nec verbum habetur de peccatis his publicis, nec consuetudo id obtinuit, quæ quamvis juri naturali non derogare valeat; at ubi de eo non constat, testatur quid officio alicui incumbat. Et ita *Azevedo in curia Pisana lib. 2. c. 3. num. 1.* ait in conventibus his sæculatibus agi de pertinentibus ad politicum civitatis regimen, quæ proximè enumeravimus. Et leges hujus regni, quæ declarant, quid decurionibus incumbat, non meminere obligationis inquirendi ea peccata publica, atque ea denuntiandi; sed solis prætoribus, ac judicibus, eorumque ministris onus imponunt inquirendi peccata publica, eaque puniendi. Nec decuriones sunt socii, & adiutores prætorum, quo ad justitiæ administrationem, sed quo ad politicam urbis gubernationem. At ea peccata publica inquirere ad administrationem justitiæ pertinet. Nec sunt oculi civitatis, & quasi parentes, ad omnia ejus publica peccata extirpanda, sed ad prospiciendum bono urbis regimini, & cavenda ejus damna. Et ad hoc jubentur decuriones, quos *Jurados*, appellant, in sua parochia habitare. Ut optimè explicat *Curia Pisana lib. 2. c. 26. num. 4.* his verbis; *Quilibet in sua parochia habet curam plebis, & debet habere, ut non fiat alicui plebejo gravamen*. Adde patresfamilias solo correctionis fraternæ vinculo, aliquantulum tamen strictiori, teneri familiæ crimina corrigere. Ut benè docet *Sotus de secreto, memb. 2. quæst. 3. conclusione 4.* Quare non video, qua ratione ex vi officii sui teneantur decuriones ad ea, quæ præcedens sententia affirmat.

CAPUT XV.

Quando juramentum præstatur ab aliqua universitate, & aliqui ejus non servant, an reliqui observare teneantur: possitque universitas statutum suum juratum revocare? Ubi etiam tractatur de promissionibus mutuis, aut non mutuis cum juramento, aut absque illo, faciendi aliquid in honorem Dei cedens.

SUMMARIUM.

Quotuplex difficultas tractanda sit; num. 1.
Quando jurat universitas aliquod statutum, an quibusdam non servantibus, alii liberi maneant; num. 2.
Quotupliciter universitas aliquod statutum jurare soleat; numero 3.
Quando persona universitatis, ut singulares, jurant statutum, an possit universitas id revocare, ita ut cesset juramentum; num. 4.
Quid, si statutum collegialiter factum sit; nu. 5.
An quando universitas potest statutum revocare, id possit efficere, quamvis à superiori confirmatum sit, & licet non valeret nisi à superiori confirmatum: & quamvis in confirmatione addita esset clausula irritans; num. 6.
An quando potest revocare, censeatur id efficere, si statuentes, aut eorum successores veniant scienter contra statutum, & tunc sint perjuri; num. 7.
Quando privati mutuò sibi jurant aliquid se facturos in honorem Dei cedens, an altero non implente, alter liber maneat; numero 8.
An possint hi obligationem illam juramenti sibi remittere? Remissivè, num. 9.
Promisso rei in honorem Dei cedentis quotupliciter homini fieri possit absque voto, & juramento; num. 10.
Quando duo sibi promisere ingressum in religionem, vel neutrum post obitum alterius conjugis ad alias nuptias transiturum, an neutri resilire liceat altero invito, qui cœpit implere; numero 11.
Quid, si neuter cœpit implere; nu. 12.
Quid, si alter est in mora, & implere recusat; num. 13.
Quando promissio non fuit respectiva, & per modum contractus, communiter non obligat, num. 14.
Quid, si adsuit verus promittendi animus, & alter acceptavit; num. 15.
Quando censeatur acceptatio; nu. 16.
An quando concubinarii promittunt sibi fidelitatem, & non necessuros ad alium, vel alium, ea promissio obliget; nu. 17.
Quando hujusmodi promissiones obligent ad mortale; nu. 18.
Quando obligant, an possit Episcopus, vel altera pars eas remittere? num. 19.

1 TRiplex difficultas in *hoc capite* tractanda est. Prima est, qualiter juramentum servandi statuta ab universitate aliqua præstitum non obliget, quibusdam illud non servantibus? Secunda est, quando possit, & censeatur universitas statutum à se juratum revocare? Tertia est, quando promissio nullo voto, aut juramento firmata, sed soli homini facta, rei cedentis in Dei honorem obliget?

Cir-

2 Circa primam difficultatem satis confusè loquuntur, & vix intelligi possunt *Angelus verbo Juramentum 6. num. 3. & Sylvest. verbo Juramentum 4. q. 2. dicto 2.* At breviter arbitror, quando de opposita jurantium mente non constat, juramentum civitatis, aut alterius universitatis, non ligare reliquos, quando major ejus universitatis pars non observat. Nec enim in tali casu putandi sunt reliqui se obligasse, sed dum in ea universitate juramentum servatur; non autem servari in ea dicitur, majori parte non observante. Atque ita docent *Azor. l. 11. instit. moralium, c. 8. q. 8. Emmanuel Sà summa, verbo Juramentum, nu. 25.*

3 Circa secundam difficultatem præmittendum est, dupliciter posse illius universitatis personas id statutum jurare. Priori modo, ut personæ singulares sint; quod evenit, quoties jurant id, quod singulorum observantiam seorsum concernit. Ut dum statuunt id jurantes, ut nullus noctu domo egrediatur; nullus nisi matriculæ adscriptus vocem in capitulo habeat. Posteriori modo, quando jurant non ut singulares, sed ut universitas quædam. Quod contingit, quando jurant id, quod non per singulas personas seorsum implendum est, sed conjunctas nomine universitatis. Quod appellant collegialiter. Ut si statuant non admittendam personam aliquam ad eam universitatem, nisi talibus conditionibus affectam; vel nullum admittendum ultra certum numerum. Hæc enim admissio per singulos seorsum fieri nequit, sed in unum nomine universitatis coactos.

4 Quando ergo statutum juratum est priori modo, potest universitas illa id statutum revocare; ac subinde obligatio juramenti extinguetur. Quia natura statuti est, ut id revocari queat, quam juramentum accedens, cum non sit de non revocando, minimè mutat; sed tantùm alligat dùm id statutum non revocatum fuerit. Et ita docent *Abb. cap. Dilecto, num. 19. de prebend. Angelus verbo Juramentum 5. nu. 39. Sylv. verbo Juramentum 4. qu. 2. dicto 3. Tabiena verb. Jurare qu. 36.* Et allegatis aliis *Gutierez de Jurament. 1. p. c. 38. num. 16.* ubi cum aliis benè addit secùs esse, si juramentum esset non revocandi prædicti statuti. Tunc enim revocare non posset absque perjurio, nisi deficeret causa finalis ejus statuti.

5 Si verò statutum juratum sit posteriori modo, nequit universitas illa, etiam ut universitas congregata, illud revocare. Ut constat ex *dicto cap. Dilecto.* Et tradunt *Abbas, Angelus, Sylv. Tabiena num. præcedenti* allegati, *Covarr. de pactis 2. p. §. 2. num. 5. versic. Ego verò*, qui addit per illum textum fore irritum, quod contra hoc juramentum gestum fuerit. Quòd statuentes per id statutum unà cum juramento sibi ipsis abdicarint potestatem contrarium agendi. Temperant autem hoc *Abbas, Angelus, Sylv. Tabiena ibidem*, ut non possit universitas illa statutum id revocare, nisi propter favorem, & bonum publicum. Quippe hic casus videtur exceptus, ut sine perjurio integrum sit ei statuto contravenire.

6 Nec quoties universitas illa potest statutum à se juratum revocare, obstabit id esse à superiori confirmatum; adhuc enim poterit revocare, si statutum id principaliter concernat favorem statuentium. Quòd ea confirmatio vim privilegii habeat, quod statuentes, in quorum favorem cedit, possunt renuntiare. Ita *Abbas* quem referunt, & sequuntur *Angelus, Sylv. dicto 5. Tabiena quæst. 39. Covar. num. 6.* alleg. *num. præced. Greg. Lop. l. 12. verb. Sobre las gentes in 2. limitatione, in fine, tit. 1. p. 1.* Addit benè *Sylvest.* hoc esse verum, quamvis materia statuti ejus conditionis sit, ut statutum minimè valeret absque superioris confirmatione. Addit etiam benè *Covarr.* multis allegatis contra alios quos *ibi* refert, hoc quoque esse verum etiamsi Pontifex statutum confirmaret addita clausula irritante. Possent enim adhuc revocare ii, in quorum favorem statutum est. Quòd si statutum favorem aliorum, aut bonum publicum concerneret, nequiret universitas illa id revocare. Quia superior confirmando videtur suam facere dispositionem. Quia omnia ea, quibus quis auctoritatem impertitur, sua efficit, *c. Si apostolica, de prebend. in 6.* Atque ita per hanc distinctionem concordant prædicti Auctores *Bartolum, & Baldum* inter se contrario.

7 Tandem, quando universitas potest statutum revocare, satis est, ut revocare censeatur, si statuentes, aut eorum successores veniant scienter, & collegialiter contra statutum, etiam unico actu. Ut docent *Joann. Andr. Hostiens. Abbas*, quos referunt, & sequuntur *Sylvest. ea q. 2. dicto 3. Tabiena* loco proximè allegato. Nec tunc contraveniendo erunt perjuri. Cum eo ipso statutum revocent, & sic cesset juramentum circa illud. Ita *Sylvest. ibi dicto 4. Tabiena question. 36.*

8 Ultima difficultas est, qualiter obliget promissio juramento firmata, aut sine illo, alicujus rei in honorem Dei cedentis, facta alteri homini. Et quidem ad judicandum, an altero non implente maneat alter ab obligatione liber, ut quando duo sibi mutuò jurant, aut promittunt se ingressuros in religionem, aut non lusuros, spectandum est, an hæc duæ obligationes ad se invicem referantur, an non. Si enim non referantur, sed independenter unus ab alio promisit, etsi unus promissum non præstet, alter non ob id obligatione liberatur. Ut benè ait *Azor lib. 11. institutionum moralium, c. 8. quæst. 4. in fine.* At secùs dicendum est, ubi promissiones hæ ad se invicem referebantur, quia jurantes intendebant, ut mutuò uterque impleret. Quia tunc tacitam habent conditionem, ut solùm obligent altero implente. Ita *Angelus verbo Juramentum 6. num. 2. Sylv. verbo Juramentum 5. quæst. 9. in fin. Tabiena verbo Jurare quæst. 20.* Quando autem ex circumstantiis nequit secerni, utro modo juramentum, aut promissio emissa sint, sed res est dubia, existimo ex materiæ natura, quæ potissimùm in Dei reverentiam, & honorem cedit, judicandum esse juramentum, aut votum, atque adeò ejus obligationem non cessare altero non implente. Ducor, quia tunc de voto, aut juramento constat, de libertate autem ab ejus obligatione est dubium. Ergo possessio, & præsumptio stat pro voto. Item, quia ratione prædictæ materiæ, dum dubium est, an favore hominis, an potiùs Dei honore spectatis emissa sint, judicandum est in Dei honorem emissa esse. Ut benè ait *Sotus lib. 8. de just. q. 1. art. 9. column. ultima.*

9 Quòd si quæras, an hi mutuò sibi possint obligationem hanc juratam remittere, aut alteri: dicemus latè, *cap. 2.*

10 Majus autem dubium est, quando non est votum, nec juramentum, sed sola promissio alteri homini facta, an obliget. Ratio autem dubitandi est, quia non videtur illius hominis interesse, ut ea promissio impleatur, sed solius Dei. At Deo nil promisum est, sed soli homini. Sed ut res hæc intelligatur, præmittendum est hoc fieri posse dupliciter. Priori modo per modum pacti respectivi, & reciprocæ promissionis, ita ut sit contractus, *facio ut facias.* Ut si duo conveniant pacto inter se inito, ut ambo ingrediantur religionem; vel vir & uxor, ut neuter alio defuncto ad secundas nuptias transeat; ita ut unus alteri se obligarit ratione obligationis sibi factæ. Posteriori modo, non per modum pacti, quia aut unus tantùm alteri promisit: aut si mutua fuit promissio, non fuit per modum pacti, sed utraque absoluta, ac independens ab alia. Et quando priori modo, potest esse res integra; quia neuter implere cœpit; aut potest esse non integra, quia alter cœpit implere.

11 Prima conclusio sit. Quando ea promissio est respectiva, & per modum contractus, *facio, ut facias*, si res non est integra, quia alter cœpit implere, tenetur alter stare promissis. Quia in contractibus incominatis, quando res non est integra, omnes dicunt alterum non posse resilire. Et jam ingressi in religionem videtur interesse, ut alter impleat, siquidem ob hoc ille se alteri obligavit, & jam non potest ingressus retrocedere, quia vel est jam professus, vel si est novitius, est dedecus aliquod retrocedere. Item, quia gratum est sibi cum religiosi status comitem habere, vel si est alia religio, ut illa amplificetur, vel, ut ambo pariter religiosi sint, vel ut aliquis manens in sæculo succedat in aliqua bona. Sicut si quidpiam faceret alter hac lege, ut alter alicui xenodochio inserviret, ut daret aliquid pauperibus, teneretur hic stare promissis. Sicut etiam, quando vir, & uxor scriptura publica instituunt majoratum communi pacto, ita ut alter fine altero non instituisset, neuter potest altero invito revocare; eò quòd si quædam reciproca conventio, & contractus. Ut ex multis probat *Meres de majoratu 1. p. q. 23. nu. 3. in priori editione.*

12 Secunda conclusio. Si verò res sit integra, quia neuter cœpit implere, etsi sentientes esse locum pœnitentiæ in contractibus incominatis, dum res est integra, censerent consequenter posse quemlibet horum resilire. At existimo neutri integrum esse altero invito resilire; quia etsi attento jure civili potest in contractibus innominatis, dum res est integra, quilibet altero invito resilire, imò & qui implere cœpit, *l. Si pecuniam, ff. de condictione causa data*; at attento jure hujus regni Castellæ *l. 2. tit. 16. lib. 5. nova recopilat.* neuter resilire potest etiam re integra absque alterius consensu. Ut tradunt fere omnes Doctores hujus regni, quos refert, & sequitur *Gutierez de juramento 1. p. c. 35. nu. 1. Molina tomo 2. de justit. disp. 258. conclus. 5.* Etsi contrarium sentiat *Padilla l. Naturalis, §. Et si quidem, num. 19. ff. de præscript. verbis*, diceos illam legem regiam loqui in solis contractibus simplicibus, non autem in reciprocis, & respectivis. Insuper, quia etsi lex civilis non concedat actionem contra sic resilientem; at ex tali pacto oritur obligatio naturalis etiam re integra. Ut multis allegatis defendit *ibi Padilla num. 7. & Molina dicta disputatione 258. conclusione 5.* addens consequenter in foro conscientiæ neutri licere etiam re integra resilire altero contradicente. Quia obligatio naturalis est obligatio in foro conscientiæ. Ut probavi *lib. 1. de matrim. disp. 7. num. 15.* In pacto autem reciproco conjugium non transeundi ad alias nuptias altero mortuo, quando jam alter obiit, nullatenus licet superstiti à pacto resilire, etsi diceremus licere utrique, dum res est integra. Quia tunc non censetur res omninò integra; cum ex parte defuncti nulla alia executionis pacti inceptio sperari possit.

13 Tertia conclusio. Si alter ex his pacisentibus sit in mora, & implere recuset, alter liberatur ea promissionis obligatione. Quia in contractibus innominatis tunc resilire licet ei, qui in culpa non est. Ut docent Auctores *n. prac.* allegati.

14 Quarta conclusio. Quando promissio non est respectiva, & per modum contractus, sed aut alterius solius, aut si mutua,

mutua, est quælibet dissoluta, tunc communiter ad nullam culpam ea promissio obligat. Quia *libro primo de matrim. disput. 5. numero 21.* probavi communiter homines in promissionibus humanis nolle se ad culpam obligare, sed ex quadam benevola honestate, nec credere obligationem ad culpam consurgere, sed ad suum tuendum honorem. Quod maximè verum est in his, quæ non respiciunt alterius favorem, sed honorem divinum. Quippe quando quispiam se obligare in his intendit, votum vel juramentum solet emittere.

15 Quinta conclusio. Si autem vera promittendi, ac se homini obligandi adsit intentio, sicut contingit in aliis promissionibus rerum temporalium, tunc spectandum est, an alterius interlit eam promissionem impleri; eò quod tamquam rem sibi gratam, & optatam acceptarit; vel pro ea re obtinenda instarit, & tunc promissio obligabit. Quia non est potior ratio de aliis promissionibus rerum temporalium, quæ obligant, quàm de hac; cum in utrisque interlit ejus, cui fit promissio, illam impleri, & adsit acceptatio. Si autem nil intererat alterius, promissio non obligabit. Ut si res illa promissa non erat alteri grata, nec ab eo optabatur, & nil curat, sive impleatur, sive non. Quia Deo non fit tunc promissio, ut supponimus, homo autem, cui fit, non acceptat tamquam rem sibi gratam, sed nil de ea curat, utpote cujus nil eam impleri interest. Et quamvis promittens non tantùm intendat favorem ejus, cui promittit, sed obsequium Dei, auferre scandalum, & rixarum occasiones; at hæc non Deo promittit, nec jurejurando se adstringit, sed merè homini promittit ejus favorem principaliter respiciens, qui tamen rem illam non acceptat tamquam sibi gratam.

16 Tunc autem est acceptatio, vel quando alter expressè acceptat gratias agens pro promissione illa, vel tacet, & ejus interest, ut quia instabat pro re illa obtinenda, vel optabat obtineri; quia in favorabilibus sibi tacens consentire videtur. Ut probavi *l. 1. de matrimon. disput. 5. numero 5.*

17 Hinc deducitur, quid dicendum sit de promissione jurata, vel non jurata, qua duo concubinarii promittunt sibi fidelitatem, vel solùm alter alteri; idest fore ut promittens nullam aliam personam carnaliter cognoscat. Videtur enim ea promissio minimè obligare, quia finis est malus, nempe, amicitiam eam turpem conservare. Sed existimo hoc juramentum, vel promissionem obligare. Quia ut juramentum homini præstitum in ejus favorem obliget, nil refert, an jurans id promittendo peccarit, sed tantùm spectandum est, an possit impleri absque culpa. Ut diximus *capit. nono numero 17.* Et eadem prorsus ratio est de promissione humana. At objectum hujus promissionis, nempe, ad nullam aliam personam fornicando accedere, potest impleri absque peccato; cum non sit necesse, ut id ob finem turpem executioni mandetur, & quamvis is ad promittendum induxerit; at re vera promissio illa est, ut merces, & stipendium usus præteriti corporis. Sicut si ob eum finem promisisset illi nuptias, aut pecuniam aliquam, teneretur implere.

18 Demum duo observanda sunt. Prius est. Ad judicandum, an promissiones hæ humanæ, de quibus *num. decimo primo*, usque nunc locuti sumus, obligent ad mortale, non spectandum est, qualis sit materia promissa in ordine ad divinum obsequium; sed qualis sit in ordine ad hominem, in cujus gratiam fit, & quantum illius interlit promissionem illam impleri. Quia Deo nil promissum est, nec ejus intuitu, sed soli homini in ejus gratiam. Ergo ex hac hominis gratia, ejusque favore, obligatio promissionis metienda est. Et si ejus plurimùm interlit promissionem impleri, transgressio erit mortalis. Ut contingeret, quando ex societate alterius, qui simul promisit illi religionem penderet pax, & tranquillitas alterius in religioso statu, vel quid simile. Quando autem parum interest, ut communiter contingit, transgressio erit venialis. Atque idem censerem, etsi ea promissio juramento firmata sit, nullo habitu intuitu ad Deum, sed merè ad gratiam, & benevolentiam hominis, cui promissio fit. Quando enim materia promissa juramento est levis, juramenti transgressio est venialis. Ut diximus *capit. quarto numero 23.* At levis est, quando ei, cui fit promissio, est parum grata, parumque illius interest.

19 Posterior est. Quoties hæ promissiones humanæ obligant, solius ejus, cui promissio fit, est illas remittere, vel supremi principis ex causa boni communis id poscentis; si sit de re pia, summi Pontificis; si de re merè temporali, principis supremi in temporalibus. Sicut in quavis alia promissione homini facta contingit.

CAPUT XVI.

Qualiter intelligatur, ac obliget juramentum à medicis præstitum admonendi statim infirmos, ut fateantur?

SUMMARIUM.

Qualiter jure naturali teneantur medici admonere infirmos, ut fateantur, & declarare periculum? Et non declarantes, an teneantur restituere damna inde secuta? nu. 1.
Referuntur decretum Innocentii III. & Pii V. motus proprius *de hac re, num. 2.*
An hæc decreta obligent sub mortali? num. 3.
An obligent medicos ad monendos infirmos, ut fateantur, antequam de salario conveniant; & aliàs careant jure illius petendi; ac solutum possit repeti? num. 4.
An intelligantur de quibusvis morbis? Refertur duplex sententia, num. 5. & 6.
Explicatur sententia Auctoris, num. 7.
An satis sit admonere per se, vel alium? num. 8.
An si æger admonitus confiteri nolit, sit à medico deserendus? numero 9.
Quid, si æger defertus in mortis periculum incidat? nu. 10.
Quid, si aliud grave detrimentum patietur? num. 11.
Quid, si certò credatur monitionem non profuturam, aut de hoc dubitatur? num. 12.
Quid, si morbus celerem medicinam exigat? num. 13.
An hæc decreta possint consuetudine abrogari? num. 14.
An juramentum, quod præstant medici hæc decreta exequendi, ipsos obliget? num. 15.

1 UT res hæc radicitus intelligatur, videndum primò est, quando attento solo jure naturali, ac divino medici ad hanc monitionem adstringantur? Secundò, quando attento decreto Innoc. III. *c. Cum infirmitas, de pœnit. & remiss.* & motu proprio Pii V.? Tandem, qualiter juramento de hac monitione præmittenda juxta ejus motus proprii præscriptum obligentur? Si ergo solum jus divinum naturale attendamus, ita distinguendum est. Si medicus probabile mortis futuræ periculum prævideat, tenetur admonere per semetipsum, aut per parochum, consanguineosve, aut per alios, infirmum, quò sacramentis se muniat, conscientiam exoneret, ac de suis rebus disponat; si credit, fore, ut id multùm animæ infirmi prosit, ut moraliter credendum est, eò quòd sit in peccato lethali; aut aliqua declarando, testandoque componet discordias probabiliter inter hæredes, aut alios orituras; aut si id fore dubius sit. Quia in dubio tenetur quispiam notabile proximi damnum vitare. Si autem de hoc non dubitet, sed moraliter certus sit fore, ut ea monitio parum, aut nil prosit; eò quòd moraliter credit ægrum in bono statu esse, ac benè dispositum ad mortem, ac de suis rebus disposuisse, non tenetur ad eam monitionem; quamvis meliùs sit, ut admoneat. Quia omnes frequentissimè meliùs ad mortem præparantur conscii ejus periculi. Ita docent *Joannes de Neapoli quolib. 11. D. Anton. 3. p. tit. 7. c. 2. §. 4. Rosella verbo Medicus num. 4. & ibi Angel. num. 12. Sylv. q. 3. dict. 4. Armilla num. 1. ad finem, Tabiena verb. Medicina qu. 14. num. 15. Navarr. summa Latina c. 25. num. 63.* Et meliùs *Hispana eod. num. 63.* Ubi cum reliquis Doctoribus citatis addidit idem esse, quando medicus dubitat, an admonitio proderit; quod *Latinè* prætermisit, *Beja 1. tomo suorum casuum, casu 15.* Atque similiter dicendum est medicum non teneri admonere, quando infirmum ita malè affectum videt, ut moraliter credat ea admonitione eum in pejus iturum. Quia admonitionis ratio tunc cessat. Ita *Sylv. ibid.* Culpa autem medici dictam admonitionem prætermittentis casu, quo tenetur, est lethalis, dum sit in re gravi, ac in magnum proximi detrimentum spirituale. Ut benè docent *D. Anton. Rosella, Angelus, Tabiena, Armilla, Navarr. Beja ibid.* At hoc peccatum est contra charitatem tantùm. Ut tradunt *D. Anton. Rosella, Armilla, Tabiena ibidem.* Nam, ut benè ait *Cajetanus in summa, verb. Medicus in fine*, non tenetur medicus ex officio tristia infirmo nuntiare; quale est mortis periculum; sed potiùs læta, quale est spes salutis. Quare medicus hanc monitionem culpa sua prætermittens nil tenetur restituere damnum patientibus ex ejus omissione. Quia solus præcepti charitatis transgressor est. Quòd si aliquis certiorem faciat ægrum de hoc periculo, cæteri hac obligatione liberantur. Ut benè docent *D. Anton. Rosella, Sylvest. Beja ibidem.* Ex quo infero medicum non exigi ab hac obligatione, quando alii admonere nolunt. Sicut non eximitur quispiam ab obligatione corrigendi proximi, sive subveniendi, quando alii corrigere, aut subvenire nolunt.

2 Si autem jus Ecclesiasticum attendamus. Innocent. III. *Cum infirmitas, de pœn. & remission.* districtè præcipit medicus, ut ad medendum infirmo, in lecto jacinti vocati, eum ante omnia moneant, & inducant, ut confiteatur. Quod decretum innovavit Pius V. anno 1566. in quodam motu proprio edito anno 1566. incipiente, *Supra gregem Dominicum*; additque insuper præceptum, ne medici ultra ter-

tium

tium diem ægrum visitent, nisi per confessarii scriptum ipsis de infirmi confessione fides fiat; nisi confessarius ex justa causa longius tempus infirmo concedendum judicet. Et præcipit universitatibus, & collegiis, ut cum licentiam medendi alicui concesserint, aut ad Doctoris gradus eum promoverint, exigant ab eo juramentum hæc servandi. Atque ita fit, ac jurant medici se id admonituros, & ultra tertium diem non visitaturos, nisi ea confessione præmissa, juxtà motum proprium Pii V.

3 Et quidem hæc decreta ex se obligare sub mortali non est dubitandum; Quia Innoc.III. *eo c. Cum infirmitas*, gravibus verbis utitur, ibi *Districtè præcipimus*. Atque transgressoribus gravem pœnam imponit, nempe, ut ab Ecclesiæ ingressu arceantur. Et Pius V. perpetuam infamiam, ac gradus privationem, & à medicorum cœtu electionem, & pœnam pecuniariam arbitrio ordinarii taxandam addidit. Et ita culpam esse lethalem tradunt *Hostiens. eo c. Cum infirmitas nu.3. D. Anton. 3. p. tit. 7. c. 2. §. 4. Rosella verb. Medicus in initio, Angel. ibi nu. 8. Sylv. q. 3. dicto 2. Tabiena verbo Medicina, q. 11. nu. 12. Navarr. summa c. 25. num. 61.*

4 Atque hanc admonitionem virtute hujus præcepti faciendam docent quidam, non tantùm antequam medicus mederi incipiat, sed etiam antequam de salario sibi assignando conveniat. Quia *eo c. Cum infirmitas*, dicitur illam ante omnia faciendam. Ita docent *Host. ibi num. 3. Joann. Andr. num. 3. Ant. num. 9. Abb. num. 6. Anchar. num. 3. D. Anton. eo §. 4. Rosella verbo Medicus num. 2. ubi Sylv. q. 3. dicto 2.* At melùs *Navarr. num. praced.* allegatus explicat id verbum *ante omnia*, idest, *antequam medicus medicinas applicet*. Quia sic satisfit intentioni illius decreti. Item, quia nullus damnaret medicum de salario convenientem statim, ut ad medendum vocatur, antequam ægrum visitet. Cum tamen juxta omnes, ut mox dicemus, non teneatur admonere, donec ægro invisо morbum norit. Esto autem id præceptum obligaret ante conventionem de salario, non credo verum, quod ajunt *Rosella, & Sylv. ibidem* nimirum, medicum non antea admonentem privari jure salarii promissi petendi; atque si solutum sit, posse ab eo repeti, per *l. Non dubium, C. de legibus*. Quòd de eo salario contra juris prohibitionem conventum sit. Sed ab hac opinione recedunt *Hostiens. Joan. Andr. Ant. num. 10. Anchar.* proximè allegati, etsi aliquantulum dubii, dicunt enim se non audere hanc pœnam imponere, eò quòd jure impolita non sit. Atque *Abb. eo cap. Cum infirmitas, numero 6.* expresè dicit non esse imponendam. Quia id pactum quo ad substantiam suam non est juri adversum, sed tantùm quo ad accidens quoddam temporis.

5 Rursus non convenit inter Auctores, de quibus morbis decreta hæc intelligantur. Nam *d. c. Cum infirmitas*, & dictus motus proprius Pii V. id statuunt, cum medicus infirmum in lecto jacentem visitat; unde circa morbi qualitatem nil Pius V. innovavit. Quidam dicunt intelligi de solis morbis vitæ periculum afferentibus. Ita *Rosella verb. Medicus num. 3. & ibi Angelus, num. 9. Armilla, num. 1. Navarr. summa c. 25. num. 61. Manuel. 1. tomo summæ in 2. editione c. 246. in fine, Graffis 1. p. decisionum, lib. 3. c. 14. num. 7. Vega 2. tomo summæ c. 35. casu 3.* explicantque *Ang. & Navarr.* secus esse, quando constat morbum periculo carere. Atque ita censentur velle teneri medicos hoc præcepto, quando est dubium, an morbus sit periculosus. Et amplius *Rosella, & Angelus* explicant hoc periculum tunc contingere, quando ratione ejus tenetur æger præcepto confessionis divino. Quia durum videtur secluso hoc periculo adstringere medicos ad hanc monitionem.

6 Alii è diametro censent in quibuscumque morbis id præceptum obligare medicos. Ducuntur, quòd præceptum id generaliter de morbis loquatur; atque si de solis periculosis intelligeretur, facile esset Pontificibus id statuentibus ad morbos periculosos limitare. Præterea, quia ratio decisionis expressa *dicto c. Cum infirmitas*, in omnibus morbis locum habet, quæ est, ne postea admonitus æger, ut fateatur, tristitia effectus credens sibi mortem imminere, in desperationem incidat. Quod maximè locum habebit, si in solis morbis periculosis admonendus sit infirmus. Tandem, quia ea verba *dicti c. Cum infirmitas, districtè præcipimus*, clarè novum præceptum indicant. At in eo mortis periculo tenebantur jure divino naturali medici ad eam monitionem. (Ut diximus *numero primo*.) Atque ideò hanc partem tuentur *D. Anton. 3. p. tit. 7. c. 2. §. 4. Sylvest. verb. Medicus, q. 3. dicto 3.*

7 At media via procedendum est, ut nec id decretum de solis morbis periculosis intelligatur, ut probant rationes *num. præcedenti* allatæ; nec de quovis morbo levi. Ut probat ratio *num. 5.* adducta. Sed intelligendum est, quando infirmitas est talis, ut non ex deliciis, nec ex solo podagræ impedimento, sed ex se lectum petat. Quod clarè indicant *dictum c. Cum infirmitas*, & dictus motus proprius Pii V. dum id præceptum restringunt, cum infirmus in lecto jacet. Et ita expresè sentit *Cajetan. summa verbo Medicus, ad finem*. Quod idem sentiunt *Tabiena verbo Medicus, qu. 12. num. 13. & Suarez 4. tomo in 3. p. disp. 35. sect. 3. nu. 4.* dicentes id decretum non de solo morbo periculoso, sed de quocumque gravi intelligi. Et addit benè *Suarez*, vel quando medicus in principio prudenter judicat periculum morale esse, ut morbus gravis fiat.

8 Hanc autem monitionem dicunt *Cajet. num. praced.* relat. *Armill. verb. Medicus, num. 1. Nav. Manuel, Graffis, Vega num. 5.* alleg. *Suarez eadem sect. 3. nu. 5.* satis esse, sive fiat per ipsummet medicum, sive per alium: quòd ita consuetudo id decretum interpretata sit. Idque verissimum credo, etsi nulla consuetudo id decretum interpretans esset. Quia quod prædicta decreta intendunt, est, ut æger sacramenta recipiat. Si ergo id obtinetur admonente medico, vel aliis, nil refert quisnam admoneat; eò vel maximè, quòd *numero primo* dixerimus præcepto admonendi jure divino naturali medicis imposito satisfieri admonitione per alios facta.

9 Quòd si admonitus æger confiteri nolit, an huic obligationi satisfecerit medicus, non constabat inter Doctores attento decreto *dicti c. Cum infirmitas*. Quidam enim dicebant ea verba cum effectu accipienda esse, ita ut æger confiteatur, & aliter eum à medico deferendum esse. Alii verò dicebant, satis esse, ut medicus moneat, & inducat; ita ut monere sit in memoriam revocare, inducere autem sit efficaciter hortari; ita ut quantum est ex parte medici sequatur effectus, nec eum teneri deferere ægrum non confitentem. Quia ille textus nil ampliùs à medico petit, quàm ut moneat, & inducat. At hæc discordia cessat, attento motu proprio Pii V. quo expresè jubetur medicus deferere infirmum, qui tertia die à monitione transacta non fidem fecerit confessionis per scriptum confessarii. Quasi eam pœnam veluti justam imponat ægro nolenti fateri. Ut benè ait *Suarez d. sect. 3. nu. 5.*

10 Quod decretum uti valde rigidum est meritò temperandum, ut intelligatur, nisi ex desertione medici constituatur æger in probabili mortis periculo; tunc enim, etsi pertinax sit in renuenda confessione, deferendus non est. Quia contra charitatis ordinem videtur non subvenire ægro in ea necessitate corporis, & animæ; qui fortè desperans obibit; & fortè medico non deserente, ad pristinam sanitatem restitutus, aut morbo ingravescente, ad meliorem frugem se recipiet. Atque ita ob hanc rationem *D. Anton. 3. p. titul. 7. c. 2. §. 4. Angel. verbo Medicus, num. 8. & ibi Sylv. quæst. 3. dict. 2. Armilla, num. 1. Tabiena verbo Medicina, qu. 11. num. 12.* dicunt in hoc eventu non deferendum ægrum, eò quòd sit contra charitatem. Et quamvis locuti sint ante motum proprium Pii V. attento solo decreto *d. c. Cum infirmitas*, eorum tamen raritio militat quoque attento motu proprio. Nam, si ea desertio est contra charitatem, nil charitati adversum intendit Pontifex statuere. Et in propriis terminis motus proprii id docet *Suarez eadem sect. 3. numero 5.*

11 Imò idem credo, quoties medici absentia esset graviter ægro nocitura. Id enim probat ratio *n. præc.* adducta. Pervertitur enim charitatis ordo postulans, ut etiam obstinatis subveniatur.

12 Et quando certò creditur, eam monitionem nil profuturum ob ægri obstinationem, nec medicus tenetur admonere, nec eum deserere. Quia Pontificis mens fuit spirituali ægri saluti consulere, & nil frustraneum præcepit. At in hoc casu frustranea esset admonitio, nec ad eum finem conducens. Item, quia urgentius est præceptum naturale divinum prædictæ admonitionis infirmi in mortis periculo constituti. Quod tamen cessare in hoc eventu probavimus *num. primo*. Rarissimè tamen, aut numquam hoc accidet. Quia (ut *numero 1.* diximus) medicus debet esse certus de hoc, & in dubio, an prodcrit, tenetur admonere.

13 Atque quando morbus celerem medicinam requirit, ita ut confessionis expectatio detrimentum corpori allatura sit, non est necessaria ea expectatio. Quippe in eo eventu non ligat id decretum. Sic *Angelus verbo Medicus, n. 8. & ibi Sylvest. quæst. 3. dicto 2.* Sed quamvis hoc in se verissimum sit, non video qualiter ad rem faciat. Quia *dictum c. Cum infirmitas*, non exigit præmissionem confessionis, sed monitionem, ut æger fateatur, cui necessaria medicinæ celeritas nil obstare potest. Atque motus proprius Pii V. triduum confessioni faciendæ concedit; ac proinde, & medicinis, & confessioni locus est. At potest habere locum, quando jam accedente tertia die, confessio non esset facta; & necessitas celeris medicinæ postulat, nè expectetur. Et tunc ratione gravis damni imminentis non est expectanda. Ut diximus etiam *num. 10. & 11.*

14 Tandem circa hæc decreta dubitatur, an consuetudine aboleri valeant? Quidam negant. Ducuntur, quòd consuetudo legem abolens debeat esse rationi consentanea, *c. fin. de consuet.* At nulla talis induci potest adversùs hoc decretum, utpote quod in animarum salutem est. Ita *Hostiens. dict. c. Cum infirmitas, num. 2. & ibi Joannes Andreas, numero tertio, Abbas, numero sexto, Anchar. numero secundo, D. Antoninus, Angelus, Sylvest. Tabiena* allegati *num. 10. Rosella verbo Medicus, in initio*. At contrarium prorsus dicendum est. Quia cum hæc lex humana sit, potest consuetudine aboleri. Ab hac enim regula sola lex divina, & naturalis excipitur, *c. fin. de consuet.* Et fundamento contrario latè satisfecimus *lib. 7. de matrim. disp. 4. num. 14.* Atque ita docent *Cajet. in summa, verbo Medicus, ad finem, & ibi Armilla nu. 1. in fine, Navarr. summa c. 25. num. 61. Suarez dicta sectione 3. numero 5.* Quare meritò dicunt hoc decretum non aliter obligare, quàm usu receptum sit, videntibus, & dissimulantibus

tibus prælatis, quibus incumbit curare, ut illud medici exequantur.

15 Ex his decidendum est, qualiter juramentum à medicis præstitum exequendi hujus decreti, cujus meminimus *n. 2.* illos obliget. Dicendum enim est, id juramentum intelligi, in quantum motus proprius Pii V. usu receptus est, & prout ille obligat. Ut benè docet *Suarez ea sect. 3. nu. 5.* & constat ex dictis *cap. 14. numero 9.* Quare cum videamus illum minime usu receptum esse, idque videntibus, & dissimulantibus prælatis, juramentum id non obligat, nisi in iis locis, ubi id decretum usu receptum esset. Quamobrem in aliis locis solùm tenentur medici, quo ad hoc servare præceptum juris divini naturalis explicatum *nu. 1.* Nec tamen erunt perjuri illud transgrediendo. Quia juramentum est tantum de servando motu proprio Pii V. qui longè aliud disponit, nec usu est receptus.

CAPUT XVII.

Qualiter jusjurandum, quo quis se alteri obligat, interpretandum, & extendendum sit?

SUMMARIUM.

Juramentum generale obediendi alicui, aut concedendi quidquid petierit, ad quid extendatur? num. 1.

An obliget, si quid immoderatum præcipiatur? num. 2.

An culpa vacet ita generaliter jurare? num. 3.

An juramentum faciendi, aut omittendi, debeat intelligi ex sola causa tempore juramenti existente, & non ex nova superveniente? num. 4.

Qualiter obliget juramentum promoti ad gradum licentiatus non recipiendi gradus doctoratus in alia academia? nu. 5.

Promittens sub pœna vel juramento alium non offendere, an si ex nova offensa offendat, sit perjurii, & pœna reus? num. 6.

Qualiter intelligatur renuntiatio jurata juris habiti, & quod sperabatur? num. 7.

An juramentum intelligatur rebus non mutatis? Remissivè, numero 8.

Juramentum generale restringendum est, quantum fieri potest, ut minus obliget, num. 9.

An in dubio obliget, & quando est dolo præstitum? Remissivè, num. 10.

Jurans se non resignaturum beneficium in alterius favorem, an id efficere valeat transiens ad religionem? num. 11.

An juramentum aliquando interpretandum sit, ut obliget contra prius superioris mandatum? nu. 12.

Juramentum sortitur naturam primordialem, non autem accidentalem actus, cui adjicitur, num. 13.

Juramentum fidejussioni adjectum, an obliget ad principalis creditoris excussionem? num. 14. Et ibi, an jurans non expulsurum se conductorem domus, possit expellere, si non solvat tempore destinato?

An juranti aliquid solvere liceat compensatione uti, si tantumdem sibi debeatur? num. 15.

An juramentum, quo alicui datur fides, obliget eo fidei data transgressore? num. 16.

An venditioni jurata absque traditione prævaleat traditio alii facta? num. 17.

An juramentum contra priorem promissionem valeat? nu. 18.

Actus contra juramentum gestus, quando valeat? nu. 19.

An juramentum semel præstitum possit extendi ex solo jurantis consensu ad alium casum? nu. 20.

Quid si ille denuo intendebat jurare? nu. 21.

An ad vim juramenti, & incurrendum perjurium, satis sit relatio ad juramentum prius præstitum? nu. 22.

An compromittens litem die signata decidendam, & jurantes parere sententiæ, teneantur ex vi juramenti parere, si utriusque consensu dies prorogetur? num. 23.

An jurans solvere certa die, teneatur ex vi juramenti alia die per creditorem prorogata? num. 24.

An juramentum sit interpretandum, ita ut non cum detrimento, & incommodo alterius? nu. 25.

1 REm hanc quibusdam conclusionibus, & corollariis ex eis deductis explicabo. Prima conclusio. Juramentum generaliter præstitum voluntatis alicujus exequendæ, vel cujuscumque rei petitæ concedendæ, non extenditur, nisi ad ea, de quibus verisimiliter cogitatum est, vel jure optimo cogitari debuit, *cap. Quintavallis, de jurejurand.* Ratio est, quia juramentum bona fide præstitum non extenditur ultra debitam, ac verisimilem jurantis intentionem, & ad ea, quæ sunt contra præsumptionem communem. Ita docent *Innoc. cap. Veniens num. unico, de jurejurand. Angelus verbo Juramentum 4. in initio, Sylvest. verbo Juramentum 3. q. 1. vers. 9. & qu. 2. & verbo Juramentum 4. q. 6. Tabiena verbo Jurare, qu. 15. D. Anton. 2. parte tit. 10. cap. 6. §. 5.* & alii, *Azor. libro 11. instit. moralium cap. 11. quæst. 3.* Quod latissimè explicandum est *lib. sequenti cap. 2.* in simili q. de voto.

2 Hinc deducitur, non teneri jurantem quid immoderatum sibi injunctum exequi. Ut si jubeatur clericus deponere beneficium, nec appellare; vel caudicus curiam principis non ingredi. Ita *D. Thom. 2. 2. qu. 98. art. 2. ad 3. Div. Anton. Sylvest. Tabiena, Azor. num. præcedenti* allegati, *Armilla verbo Juramentum, num. 17. Sotus lib. 8. de justit. q. 2. art. 2. ad 3.*

3 Hoc autem juramentum animo sic absolutio intellectum est culpa lethalis. Quòd sic jurans animo destinet etiam absurdum, & mortale postulatum exequi. Ut contigit Herodi *Marci 6.* At ex circumstantiis contingere potest, ut hæc promissio culpa vacet, scilicet, quando sit inter viros probos, ita ut jurans certus moraliter sit sola justa à se petenda, & animo destinavit sola justa exequi. At vix veniali imprudentiæ culpa promissio hæc liberabitur. Ita *Sotus num. praced.* allegatus.

4 Secunda conclusio. Juramentum aliquid faciendi, aut omittendi, intelligi debet ex causa subsistente tempore, quo præstitum est; secùs si nova causa superveniat. Constat ex *cap. 2. de renuntiat.* ubi dicitur renuntiantem beneficium cum juramento, posse id acceptare, si denuo sibi conferatur. Ex quo textu deducunt *ibi Anton. num. 4. Abbas num. 9. Imola num. 2. Antonius Gomez l. 22. Tauri numero 10. verficul. Secundò*, renuntiationem beneficii juratam restringi semper ad jus competens tempore renuntiationis, non verò ad jus novum ex aliqua superveniens. Imò hoc est verum, etsi in renuntiatione addatur dictio tempus futurum respiciens, ut si quis juret se ulteriùs non repetiturum beneficium, intelligitur enim ex causa tempore renuntiationis existente. Ut benè tradunt *Anton. & Imola ibi*.

5 Hinc primò deducitur, juramentum, quod præstant promoti ad licentiatus gradum non accipiendi gradus doctoratus in alia academia, intelligendum esse virtute illius licentiæ. Quare integrum illis est, iterum in alia academia gradum licentiatus accipere, & doctoratus. Quia (ut dixi *numero praced.*) juramentum intelligitur ex causa subsistente tempore, quo præstitum est. Et ita docent *Anton. cap. secundo de renuntiatione numero 12. & ibi Abbas numero 11. Cardinalis*, quem refert, ac sequitur *Felinus c. Ex insinuatione num. 5. de simon. Anton. Gomez numer. praced.* allegatus.

6 Secundò deducitur, promittentem non offendere quempiam sub pœna, vel juramento, non esse pœnæ, vel perjurii reum, si ex nova inimicitia, & illata denuo injuria eum offendat. Quia illa promissio intelligitur ratione injuriæ præteritæ. Ita *Anton. ibidem n. 10. Abbas nu. 10. Anton. Gomez* relato *Bartolo ibidem*.

7 Tertiò deducitur, renuntiationem juratam juris habiti, & sperati, intelligi de jure, quod sperabatur in posterum ex causa de præsenti. Quia non dicitur spes, quæ nullum de præsenti fundamentum habet. Ita *Bart.* quem referunt, & sequuntur *Anton. eo c. 2. nu. 11. Abbas num. 12. Anchar. num. 1.*

8 An verò juramentum obliget rebus mutatis, & qualis mutatio debeat esse, dicemus *lib. seq.* in simili quæstione de voto, in *cap. 2.*

9 Tertia conclusio. Juramentum generaliter præstitum restringendum est, ut quantum fieri potest, minùs obliget. Ut probavi *libro primo de matrimon. disputat. nona numero 11.*

10 An vero obliget in dubio, tractandum est in *libro sequenti*, in simili quæstione de voto. Et qualiter interpretandum sit juramentum dolosè præstitum, diximus *hoc lib. cap. 10.*

11 Quarta conclusio. Juramentum interdum exactum ab ordinario, dum aliquem ad beneficium promovet, non resignandi illud in favorem alterius, aut non commutandi absque Episcopi consensu, non impedit, quin volens jurans ad religionem transire, possit illud in amici gratiam resignare. Quia id juramentum tantùm adhibetur, ne beneficium recipiens eo statim se abdicet, & apud Pontificem in favorem alterius reservata sibi pensione deponat. Ita docet *Azor. lib. 11. institut. moral. cap. 5. qu. ultima, in fine*; additque raro exigere jam ordinarios hujusmodi juramentum, sed tantummodo recipientem beneficium jurare se in animo habere debitum officium præstare, & Ecclesiæ servire.

12 Quinta conclusio. Etsi juramentum non obliget contra prius superioris mandatum; at aliquando id præceptum ad eum eventum non extendetur, & tunc obligabit id juramentum. Ut si Episcopus licentiam beneficiario concedat, ut absens litterarum studio vacet, jussusque ab Episcopo sit ad certum diem redire, & clericus debita in studio contrahat, jurans creditori fore, ut inde non recedat donec ei solvat, tenebitur utique jurejurando non recedere ante solutionem, etsi dies redeundi ab Episcopo constituta accedat, si æs alienum ob aliquid ad studia necessarium contraxerit. Quia prius præceptum minimè ad hunc casum extendebatur, imò ex tacito Episcopi consensu obligatio illa creditori inita fuit. Quia concesso uno censentur concessa illa, sine quibus illud effectum habere nequit, *cap. Præterea & cap. Prudentiam, de officio deleg.* Secùs autem esset, si absque Episcopi licentia se ad studia contulisset, aut si absque necessitate, vel causa legitima ea debita contraxisset. Atque idem juris est, si pater filium absentem revocet, & de quolibet alio alterius potestati subdito. Ita docent *Joann. Andreas, & Abbas* quos referunt, & sequuntur *Angelus verbo Juramentum quinto numero 27. Sylvest. verbo*